8061

FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

EXHORTATIONES

VEN. SERVI DEI

CARDINALIS ROBERTI BELLARMINI

11249

Mechliniae. — Impr. L. & A. Godenne

EXHORTATIONES DOMESTICAE

VENERABILIS SERVI DEI

Cardinalis Roberti Bellarmini

EX CODICE AUTOGRAPHO

BIBLIOTHECAE ROSSIANAE S. I.



ALMA COLLEGE
060.23
LIBRARY
B414
Alma, California

ALMA COLLEGE
FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S MONASTERY
ALMA, CAL.
California

BRUXELLIS
14, RUE DES URSULINES, 14
1899



Imprimatur

Mechliniae, 29 Septembris 1899

H. J. DE CLERCK, Vic. gen.

ADMODUM REVERENDO PATRI

LUDOVICO MARTIN

PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU

HOC GRATI ANIMI PIGNUS HUMILITER DICAT

EDITOR

PROOEMIUM

Pervolventi mihi Vindobonae in Austria libros manuscri-
tos bibliothecae Rossianae, Societatis Iesu (1), incidit in
manus volumen quoddam non ineleganter compactum, quod
hic in catalogo designatum erat : *Bellarmini varia autogra-
pha saeculi XVI, signata X, 3.* Qui codex, formae mediocris
(0m141 × 0,102), constat foliis 403, quae numeris continuis
distincta non sunt (2), complectiturque pias exhortationes
quas auctor coram sodalibus plerasque habuit. Insunt prae-
terea initio quidem tum de mysterio Incarnationis quaestio
aliqua theologica in triginta divisiones partita, tum contio
ad haereticos qui abiuraturi erant; ad calcem vero oratio sol-
emnior in doctoratu Antonii Paladini anno 1581 recitata.
Quae omnia ipsius Bellarmini manu exarata esse omnino
mihi probavi, postquam scripturae ductus cum variis epistu-
is autographis Bellarmini contuli.

Iam vero quaedam ex hisce adhortationibus mancae hae-
rent et imperfectae, sive tempus edax folia subinde quaedam
pessum dederit, sive auctori otium non suppetierit incepta

(1) Haec bibliotheca olim Admodum Reverendo Patri Beckx, praeposito generali Societatis Iesu, ab egregia femina Ludovica Carola de Bourbon, Saxoniae ducissa, dono data et sub auspiciis ipsius Caesaris Austriaci ex Italia Vindobonam translata, nuper ad aliud Societatis Iesu domicilium, in Laincium nempe illius civitatis suburbium, migravit; ubi cuilibet studioso viro ad eam patet aditus.

(2) Sub fine nonnulla folia ampliora complicata sunt ut reliquorum mensurae aptarentur.

perficiendi. Certe nonnulla passim desunt, et ex eis quaeda
vix non a principio defuerunt. Nam, ut id exempli grat
proferam, infimae orae cuiusdam aversi folii, quod infec
sententia in duo vocabula graeca desinit (1), conglutinata
exigua chartula, in qua haec litteris paululum iam corro
scripta sunt : *P. R. Bellarmine, post duo illa verba grae
desideratur una vel altera pagina. Rogo, mittere illam ad
velit, si erit ei commodum.* Ergo, vivente etiam Bellarmi
iam mutila extabat haec de dono pietatis exhortatio. Insup
ex illa petitione novimus ab ipso auctore suas pias comme
tationes fuisse cum aliquo collega communicatas. Fueritt
hic fervens ipsius admirator, qui ea exscripta sibi conserva
voluerit, an iudex criticus, quem Bellarminus sponte adive
difficile est definire.

Porro quantum volumen istud ad spiritualem venerabi
servi Dei doctrinam et quasi praecordia exploranda confer
nemo est qui non videat. Neque latuit Iosephum Boe
sollertem rerum Societatis Iesu indagatorem. Ita enim Patre
Alexandrum Pruvost, litteris die 6 novembris 1861 dat
monebat : *Habeo apud me exemplar autographum ipsius V
Cardinalis, in quo sunt et aliae hortationes tum italice, t
latine scriptae;* et sic describit summa earum argumenta (
ut liqueat codicem illum esse unum eundemque atque R
sianum. Sed et ex hoc codice prodierunt Lovanii anno 1861
adhortationes infra repetendae de cognitione Dei et de ei
misericordia ac iustitia punitiva (4).

Cetera, ni fallor, si exceperis conceptus quosdam Bellarmi
familiares et qui iam in opella *De Ascensione mentis ad Dei*

(1) Cf. infra, pag. 46, nota 1.

(2) Apud C. SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Compagnie de Jés*
Bibliographie, t. I, col. 1253, lit. J.

(3) In opusculo *de Cognitione Dei auctore venerabili servo Dei Robe
Bellarmino,* quod edidisse videtur ipse Iosephus Boero. Cf. C. S
MERVOGEL, *Op. cit.*, col. 1249, n. 47.

(4) Pag. 193-204, 239-52.

assim perstringuntur (1), tum re, tum verbis inedita sunt, t digna quae in lucem vulgentur. Novimus enim oratorem ublicum ex sacrarum contionum serie, quam, ut ipse in itae suae Commentariolis declarat (2), Lovanii incohavit vix 8 annos natus (3). Novimus et asceticum auctorem ex variis is opusculis, unctione et scientia sanctorum refertis, quae ro universis Christianorum coetibus conscripsit. Sed vix ac e vix quidem compertum est qualis extiterit domesticus fa- rum suorum instructor.

At id munus toto quasi religiosae vitae curriculo inde b ipso iuventutis tempore adimplevit. Nam, ut ipse testa- r (4), Florentiae *cum esset annorum viginti duorum, imberbis t sine ullis ordinibus... domi etiam coepit, superiore iubente, xhortationes habere ad fratres.* Et pluries in memoriam re- ocat sibi, ubicumque habitaverit, hoc munus fuisse com- issum. Hinc luculenter significatur quam recte sancteque anc operam prosecutus sit; neque mirandum quod in ea audanda multus sit cardinalis Carolus Albertus Cavalchini, designatus Ponens in causa beatificationis servi Dei (5), et uod Nicolaus Lancicius S. I. eximium de illa monimentum eliquerit : *L'esortazioni domestiche le faceva in modo che io empre ne partivo tanto acceso e infervorato nell' amore delle irtù, e nell' odio di tutte li imperfezioni, che per dir così sarei ntrato nel fuoco* (6).

(1) Conferantur praesertim capp. IV-VI et exhortationes de charitate quae infra occurrunt, p. 130-153.

(2) Cf. *Die Selbstbiographie des Cardinals Bellarmin,* lateinisch und eutsch mit geschichtlichen Erläuterungen herausgegeben von . von Döllinger und Fr. H. Reusch, pag. 32-33.

(3) De variis harum contionum editionibus, cf. *Sommervogel,* t. cit., ol. 1228, n. 33.

(4) *Die Selbstbiographie,* pag. 28-29.

(5) *Relatio Caroli Alberti Cardinalis Cavalchini, Ponentis in causa Beatific. et Canoniz. ven. Servi Dei Roberti card. Bellarmini,* Super ubio an constet de virtutibus (Romae, 1753), p. 48-52.

(6) *Ibid.,* p. 52, nota a.

Ex illo spirituali penu servavit nobis codex bibliothec Rossianae eas potissimam exhortationes, quas tum Bellarm nus fecit, dum lectorem rectoremque in collegio Roman atque postea Neapolitanae provinciae S. I. praepositum ag bat. Illarum enim principio solet vir providus saepenume indicare singulos annos ac domicilia, quibus singulae recit tae sunt, eo profecto fine ut easdem alibi opportuna occ sione posset iterare. Quaedam etiam in volumine leguntu quas habuit iam factus cardinalis. Ut hae temporis lociq notitiae ad munia, quae Bellarminus obiit, commodius ref rantur, iuvat lectorum oculis horum munerum seriem pauc proponere.

1576-88, fuit Bellarminus lector controversiarum in gymnas romano;

1592-94, fuit rector ibidem;

1594-97, praepositus provinciae Neapolitanae;

1597-99, domum Poenitentiariae Romae incoluit, eiusq rector nominatus est, duobus mensibus ant quam

1599 cardinalis est creatus « in feria quarta quattu temporum quadragesimae »;

1602-1605, factus est archiepiscopus Capuanus.

Post quod triennium Romam remigravit (1).

Modus autem expositionis est planus admodum subtilisqu consentaneus normae quam circa annum 1565, cum in co legio Montis Vicii sive Regalis, magister doceret, sibi praes tuerat : *Ex illo tempore,* ait ipse, *decrevit ornamenta omni verborum dimittere et sola puncta latine scribere; quod et fec praeterquam in contionibus latinis* (2).

Sed haec puncta non erant, uti textum Rossiani codicis v leviter inspicienti patet, sola quaedam quasi rerum dicend num delineatio. Nam communiter evolvitur continuata co ceptuum series, intermixtis haud raro latina et italica lingu

(1) *Die Selbstbiographie,* passim.

(2) *Ibid.,* p. 30.

bi auctor sibi conscius est rem facile posse ex tempore terius enucleari, saepe saepius stilum his solis verbis susndit : *et caetera*. Quanta autem cura ad lucidum ordinem imum adverterit, testantur crebri loci retractati, lineis obcti, inserti marginibus et iterum deleti, vel alio transportati. raeclarum sane exemplum in viro tanta facundia adorito! (1)

Porro in edendis hisce Bellarmini reliquiis nobis religioni it quam paucissima immutare et immutata lectori desiare. Omisi quidem quasdam mere theologicas de mysterio carnationis conclusiones initio positas, et fragmentum disrtationis de composito humano (2), quae extremum volumen ccupat. Retinui autem contionem *ad haereticos qui abiuraturi rant* et alteram in *Doctoratu Ant. Paladini,* ratus utraque elius cognosci varium Bellarmini ingenium. Textus vero hortationum prodit, sicut in volumine autographo iacet, ab somet auctore correctus accommodatusque. At ubi nullo rorsus modo indicavit ex quo Scripturae loco desumpserit uos citat sacrorum librorum versiculos, tum locos illos intra arenthesim adnectendos esse existimavi. Quod ad lacunas pectat, sollicitus semper fui notare utrum deperdito alicui olio an ipsi auctori qui rem reliquerit infectam, attribuendae iderentur.

Restat ut gratias ex animo agam provinciae Austriacae . I. superioribus, qui diuturnam pretiosi voluminis copiam nihi fecerunt.

Fr. Van Ortroy, S. I.

(1) Contiones latinae Lovanii in templo Sancti Michaelis habiae, fuerunt integrae calamo exaratae, quippe quas autographas ose fateatur se monachis Parcensibus describenda stradidisse, ut d mensam legi possent. Cf. *Bellarmini epistolae familiares,* ep. 94 t 185.

(2) Est haec quasi epitome primi gradus *Ascensionis mentis ad eum.*

DE CUSTODIA CORDIS

Exhortatio prima

(Anno 1583, 12 novembris)

Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita proce-
t. Proverb. 4.

Tria dicenda sunt. 1° Quanti referat custodire cor; 2° a
ibus periculis sit custodiendum; 3° quae sint remedia.

Primum cognosci potest ex ipsa natura, quae cor carneum
sscondit in intimo et tutissimo loco et munivit quasi vallo
embranarum et muro costarum. Deinde ex hac ipsa sen-
ntia; nam non dicit Deus : *serva,* nec solum : *serva diligenter,*
d : *cum omni custodia.* Exemplum : si rex iuberet aliquam
mmam includi intra arcam aeream, et ipsam arcam poni in
rri munitissima, et adhuc turrim cingi aggeribus, fossis,
uis, et adhuc adhiberi custodiam militum et bombardarum,
adhuc adderet ut, si qua est alia ratio custodiendi, adhibe-
tur, nec parceretur sumptibus aut laboribus. Adde quod qui
c dicit, non potest falli; nam hoc scripsit Salomon sapien-
ssimus, dictavit autem hoc Salomoni ipsa Dei sapientia,
ae cor ipsum fecit et melius illud cognoscit quam ipsum se
sum cognoscat, ita ut non possit dubitari an illa amplificatio
iatur ex inani metu, an ex vera cognitione magnitudinis rei.
dde quod, ut melius nobis hoc Deus suaderet, addidit ratio-
m : *Quoniam ex ipso vita procedit;* quae ratio comprehendit
nnes rationes quae adferri possent.

Aliqui dicunt summe custodiendum esse cor, quia est cubi-
lum omnipotentis regis, ut ipsae literae indicant C. O. R.

Anima iusti sedes est sapientiae : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (Ephes. 3, 17). Notum autem est quam diligenter custodiantur cubicula regum. *En lectulum Salomonis ambiunt sexaginta fortes de fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi* (Cantic. 3,7.8). Quanti autem referat habere Deum in corde patet, quia id facit Deus in corde quod anima in corpore. Sicut enim, anima recedente, homo remanet caecus, mutus, surdus etc., ita etc... Item id facit quod sol in mundo, qui illustrat, calefacit, germinare facit etc... Denique facit ex corde paradisum per suam praesentiam et infernum per suam absentiam.

Alii dicunt cor summe esse custodiendum, quia in ipso omnia nostra bona vel mala includuntur, et sic dictum esse volunt COR, quasi custodia omnium rerum. Nam si cor bene habeat, ab eo facile custoditur os, manus, oculus, pes et cetera omnia; et contra, si male habeat. Unde Ecclesiasticus dicit, (25, 17) : *Omnis plaga tristitia cordis,* id est dolor cordis aequivalet omnibus doloribus simul. Dolor oculi est particularis dolor, sic dolor pedis, etc.; at dolor cordis est universalis. Ideo ita est custodiendum solum cor atque omnia alia simul. Qui, venditis omnibus, emit margaritam pretiosam, iure custodiam, quam ponebat in custodiendis agris, domibus, pecuniis et ceteris rebus, debet ponere in custodienda margarita illa, quia aequivalet omnibus.

At utraque ratio continetur in ista, quoniam ex ipso vita procedit. Nota cor hoc loco esse partem superiorem animae, ut eo loco : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (Psalm. 83, 3), ubi cor distinguitur a membris carnis. Et quia in parte superiore est intellectus et voluntas, ideo utrumque aliquando dicitur cor, ut Rom. 10 : *Corde creditur ad iustitiam,* et Luc. ult° : *Nonne cor nostrum ardens erat in via?* Sed praecipue voluntas dicitur cor, quoniam sicut est carneum et sedes et fons vitae corporalis, et ideo primum vivit et ultimum moritur, ita quoque voluntas est sedes et fons vitae spiritualis. Vita enim animae est charitas. Charitas autem in voluntate sedet et inde diffunditur ad alias potentias, quae

um aliquo modo participare possunt, et sic ipsa prima omni-
m vivit. Deinde per ipsam vivit fides, quae est in intellectu,
vunt verba, vivunt opera. Ipsa etiam ultimo moritur, quia
eccatum, quod est venenum animae, primo intrat per sug-
estionem, deinde transit ad delectationem, ultimo penetrat ad
nsensum voluntatis. *Concupiscentia,* inquit Iacobus (1, 15),
*um conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consum-
atum fuerit, generat mortem.* Concupiscentia est deside-
um inspiratum mali alicuius. Inde oritur peccatum veniale
electationis sensuum; tandem, si consummetur per consen-
um, generat mortem animae. Hinc igitur apparet quod illae
uae rationes in ista includuntur. Prima erat, quia cor est
ubiculum Dei; at cur est cubiculum Dei, nisi quia est sedes
aritatis? Ubi enim charitas est, ibi inseparabiliter Deus est,
mo ipse etiam charitas est. Secunda erat, quia cordis custo-
a aequivalet custodiae omnium rerum, cum bonum et malum
rdis sit generale. At unde hoc, nisi quia ab ipso vita procedit,
um ibi sit charitas quae est bonorum omnium fons? Recte
go dicit Salomon : *Omni custodia serva cor tuum;* non ait
nguam tuam, qua Deum laudare potes; neque manus tuas,
uibus bona operari; neque pedes, quibus aegros invisere;
eque corpus, quo ieiunare; neque intellectum, quo contem-
ari potes; sed *cor tuum,* quo Deum diligere potes, quia vita
n ex istis ad cor, sed a corde ad ista procedit. Nam sine
nsensu voluntatis nihil hominem laedit, nihil iuvat quod
l vitam veram attinet. Unde stultus occidens, blasphemans,
piens non peccat, quia deest liber consensus; et contra qui
pit deliberata voluntate occidere, furari etc., peccat, etsi
ere non compleat. Unde Matt. 15 : *Ex corde exeunt adulte-
a, homicidia,* etc. Idem dico de operibus meritoriis. Si omnes
vi siccentur et fons integer maneat, parum perdis. Si autem
ns siccatur, quid prodest quod omnes rivi ad breve tempus
unt? Constat igitur omni custodia custodiendum esse cor.
Sed etiam est alia ratio quam S. Basilius attingit in oratione
per illud : *Attende tibi* (I Tim. 4, 16). Nam cor facillime
editur et difficillime curatur. Facillime laeditur, quia facillime

peccat. Nam ad peccata exteriora requiritur locus, tempus, sumptus, labores, quae saepe impediunt et retardant, item impediuntur a timore poenae, a verecundia, ab amicis, ab inimicis. At peccata cordis non egent ullo auxilio, neque ab ullo impediri possunt. Difficillime autem curantur, quia non videntur. Potest pater aut magister aut praelatus custodire linguam, os, manus subditorum; at cor non potest. Unde etiam propterea dicitur : *Serva cor tuum,* id est : ne exspectes ut alii servent. Sed quid, quod nec ipsi illud perfecte videmus? *Pravum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud* (Hier. 17, 9)? Habet tot cavernas obscurissimas ut, nisi multis precibus impetremus ut Deus illuminet tenebras nostras, nos ipsi erremus tamquam caeci in labirinto cordis nostri. Nam non intelligimus an peccemus, et quantum. Saepe etiam occultat se proprius amor seu propria voluntas, et cogit nos ad multa, quae tamen putamus nos facere ex Dei amore aut obedientia. Tot autem palliis illa propria voluntas se tegit necessitatis, charitatis, iustitiae, perfectionis, et tot rationibus se excusat, ut difficillime cognosci possit.

Alia ratio sumi potest ex innata nobis negligentia. Nam omnes res aliae diligentissime custodiunt vitam suam, et ipse etiam homo vitam animalem ita servat, ut etiam minimas punctiones sentiat et caveat. At homo vulneratur gravissime in anima saepe, et non sentit, etc.

Ultima ratio ex diligentia sanctorum, qui prudentes erant et summa diligentia custodiebant cor suum, etc. Exempla de P. Ignatio, qui toties examinabat conscientiam, et de sanctis Hilarione, Benedicto, Francisco et ceteris, qui malebant se proicere in spinas et nives et se caedere, quam sentire malos instinctus.

DE CUSTODIA CORDIS

Exhortatio secunda

PRIMUM PERICULUM cordis est amissio ipsius.

Hierem. 5 : *Audi, populo stulte, qui non habes cor.* — Ps. 39 : *Cor meum dereliquit me.* — 2 Reg. 7 : *Invenit servus tuus cor suum.* — August. lib. 8 Confess. : *Surgunt indocti et rapiunt coelum, et nos cum doctrinis nostris sine corde ecce quomodo volutamur in carne et sanguine.* Dicam igitur :

1° Quomodo amittatur cor;

2° Quanti referat possidere cor suum;

3° Quomodo inveniatur et possideatur.

1. Cor amittitur, cum affectio ponitur in creatura; habetur autem, cum ponitur in Deo. Ratio est duplex : 1ª, quia Deus est locus naturalis cordis. August. lib. 1 Confess., cap. 1 : *Fecisti nos ad te et irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Qui habet aurum in arca et frumentum in horreo, dicitur habere, quia habet ea in loco suo, ubi conservantur. At qui aurum vel frumentum in mari proiecit, non dicitur habere, etc...

2ª, quia si cor in Deo sit, liberrime illo utimur ad omnia opera, quae nobis conveniunt. At si cor sit in creatura, quasi captivum et ligatum manet, ut non possimus eo uti ad opera nostra, id est ad opera bona, nisi in quantum liberatur per gratiam Dei. Verum est tamen, quod qui habet cor in Deo, est quasi ligatus, ne male faciat; et qui habet cor in creatura, est liber ad male faciendum. Unde Paulus ad Rom. 6 dicit bonos esse liberatos a peccato, sed servos iustitiae esse; et contra, malos esse liberos iustitiae, et servos peccati. Sed

neque illa bonorum est vera servitus, neque illa malorum est vera libertas. Immo tunc erimus perfectissime liberi, quando habebimus libertatem gloriae filiorum Dei, qua similes Deo et angelis effecti non poterimus ullo modo peccare. Et mali tunc erunt perfecte servi, quando erunt in inferno, et non poterunt nisi male agere. Exemplum de eo qui ambulat libere ubique, sed ubi sunt pontes, invenit utrinque muros, ut non possit cadere, nisi velit ascendere muros et se deicere; et de eo qui non habet nisi angustissimum carcerem, sed plenum foveis, etc...

Quattuor sunt genera eorum, qui perdunt cor.

1) Primi sunt illi, qui posuerunt cor in creatura, ut in ultimo fine, et tam profunde, ut nec recordentur se umquam habuisse cor : ut illi qui sunt servi, nec sciunt se umquam fuisse liberos, quia forte a pueris coeperunt servire. Isti sunt illi, qui peccant sine remorsu conscientiae, qui peccant mortaliter, et rident ac laeti sunt. *Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit* (Prov. 18, 3). Num diceretur cor habere, qui in mari existeret ac videret navim recta tendere ad scopulum, et non curaret? vel duceretur ad patibulum, et in via luderet? Omnes impii ducuntur ad infernum recta, et tam celeriter quam celeriter sol movetur. Vita enim nostra est quasi currus alligatus soli, proicitur incredibili celeritate nocte et die, sine intermissione festinat ad finem. De his dicitur illud : *Populе stulte, qui non habes cor* (Hier. 5, 21).

2) Secundi sunt, qui habent quidem cor in creatura, ut in ultimo fine, tamen sciunt se captos et servos, et saepe conantur fugere a tyranno et redire ad se; sed non praevalent.

3) Tertii sunt, qui habent cor in creatura, non ut in ultimo fine, sed tamen habent ita ut, licet malint perdere creaturam quam peccare mortaliter, tamen difficulter et cum dolore separantur ab ea, sicut, quando propter vulnus aut scabiem vestis adhaeret carni, non potest sine dolore exui. Et isti, licet non sint omnino irretiti et capti, ut non possint operari bona, tamen sunt quasi visco aut luto infecti, ita ut non possint tam libere et expedite operari; ac breviter, impediun-

tur a perfectione. Et si quidem obliviscantur hanc suam miseriam, constituunt tertium ordinem; si autem advertant et doleant, constituunt quartum.

2. De secundo multa dici possent, sed tria tantum dicam modo :

a) Primo plurimi referre, ut quis sit omnino expeditus ab amore creaturae, quia amor est thesaurus incomparabilis, si quis eo uti sciat. Si quis haberet magnam copiam tritici et seminaret in terra bona, ditissimus fieret; si autem seminaret in flumine, totum perderet. Sic affectio cordis in Deo posita quotidie auget merita; at posita in creaturis labentibus, labitur cum illis et perit. Sic etiam si quis habet canale aquae, si convertat illum ad plateam, perdit aquam et lutum facit; at si convertat ad hortum, producit multa bona.

b) Deinde ad cognitionem Dei et amorem, atque adeo ad summam perfectionem acquirendam nihil magis est necessarium. Scribit quidam sanctus doctor in magno errore versari illos qui erigunt oculos ad contemplationem, et non attendunt ad mortificationem passionum et affectuum. Sicut navis, dum est ligata ad littus, non potest progredi, etiamsi habeat optima vela et optimum ventum; ita cor adhaerens creaturae non potest sursum tendere. Ideo ille sanctus dicit quod qui vult cito ascendere ad summam perfectionem contemplationis, non debet sursum respicere, sed deorsum; id est, debet attendere potissimum ad mortificationem affectuum, ut liberet se a vinculis quae illum tenent inferius, et de reliquo relinquere curam Deo, qui eum trahet sursum. Et certe sic sancti fecerunt, qui, cum operam darent mortificationi et humilitati et emendationi culparum, inveniebant se elevatos sursum ad contemplationem, saepe etiam tam alte, ut corda hominum et res futuras in lumine illo divino viderent. Itaque ista perfecta paupertas spiritus et nuditas affectus ab amore creaturarum est thesaurus absconditus in agro, quia res est secreta et occulta, et quae tamen ditissimum hominem facit citissime et facillime.

c) Praeterea nobis ratione proprii instituti plurimum refert diligenter operam dare huic libertati, quia duplicatum laborem

habemus in ea acquirenda, et ideo nisi quis valde conetur, non eo perveniet. Pro quo sciendum est duo esse quae cor nostrum trahunt ac detinent deorsum, voluptas et necessitas, ut sanctus Bernardus recte dicit. Voluptas etsi multiplex est, ita ut inter latrunculos perpetuo ambulemus, tamen non intrat nisi per portas sensuum, praecipue per gustatum, auditum et visum. *Oculus meus depraedatus est animam meam* (Thren. 3, 51), et ille profanus : *Ut vidi, ut perii* (Verg. Ecl. 8, 41). Certe David, nisi vidisset Bethsabeth, non commisisset homicidium et adulterium. Necessitas est etiam multiplex; nam cogimur, velimus nolimus, cogitare de corpore, de anima, de suo quisque officio. Et saepe necessitas inducit delectationem, et quidem necessario. Non enim non possumus fungi officio, ut oportet, nisi afficiamur ad illud. Iam igitur multi sancti viri propter eiusmodi pericula clauserunt omnino portas, seu fenestras sensuum, et amputarunt fere omnem necessitatem; nam clauserunt se in eremo, ubi nihil viderent nisi caelum et terram, nihil audirent nisi voces avium et sonitum pluviarum et ventorum, nihil gustarent nisi panem et aquam, nihil tangerent nisi cilicium, ligna et lapides, nullam curam haberent, nisi Deum laudandi. Atque hi quidem pugnabant cum hoste, portis clausis et bene munitis. At nobis oportet pugnare cum hoste, portis apertis. Nam cogimur vitam communem vivere, si lucrari volumus animas; cogimur videri et videre, cernere formas, pompas, opes, honores etc. Cogimur audire multa, etiam turpissima, in confessionibus, etiam de illis cogitare ut quaeramus remedia; cogimur comedere et vestiri more ceterorum; cogimur deinde officia distractiva assumere docendi, praedicandi, et etiam pecunias quaerendi et dispensandi. Et tamen cum his omnibus, nisi liberi maneamus ab affectione mundi, cor putrescet in imis.

Propter hoc Chrysostomus, in libro de Sacerdotio, dicit esse multo faciliorem vitam eremitarum quam sacerdotum. Et hoc est quod toties legimus repetitum in formula nostri Instituti, nimirum quod hoc Institutum propter multas annexas difficultates requirit revera homines omnino humiles et mortifi-

itos. Et ideo etiam duplicatum habemus tempus novitiatus, praeterea longissimam probationem ante professionem, ia navigamus adverso flumine et cum ventis contrariis. eque tamen haec nos terrere debent. Nam quo maior est ficultas, eo maius erit praemium; et nunc etiam maior erit atia Dei, si a nostra parte non desit industria. Qui enim ocavit, scit et potest et vult sine dubio sufficientes vires raebere.

3. Quantum ad tertium. Quod est remedium ad invenien-um cor? *Virga in dorso eius, qui indiget corde.* Proverb. 10. *Verumtamen sola vexatio dabit intellectum auditui,* ait Isaias 28, 19). *Qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis* (Prov. 15, 32). Hoc remedium illis convenit praecipue, qui bliti sunt se amisisse cor. Nam isti non quaerunt cor suum, nod nesciunt se amisisse; sed si ad angustias redigantur, ubi consilio et auxilio opus sit, tunc intelligunt se amisisse cor, t quaerere incipiunt. Ita etiam Iudaei, cum occideret eos Deus, quaerebant eum et revertebantur. Ps. 77. Et filius pro-igus cum egere coepisset, ad se reversus dixit, etc. Luc. 15. Multa exempla sunt in libro 1° Vitae sancti Gregorii de noltis qui, omisso timore Dei et obliti suae salutis, ex nonasterio fugere aut in monasterio negligentissime vivere olebant, et terroribus divinitus immissis conversi sunt. ingulare exemplum est de Theodoro puero, lib. I, cap. 38. aepe etiam Deus ad hunc finem permittit tentationes mole-tas ut homo excitetur et videat negligentiam suam, etc. At s qui sciunt et advertunt se cor amisisse et dolent, non est oc remedium tam necessarium; tamen est etiam suo modo dhibendum. Nam etiam B. Paulus utebatur virga in seipsum, on ut cor inveniret, sed ne perderet. *Castigo corpus meum et n servitutem redigo* etc. (I Cor. 9, 27). Sed modus facillimus t nostro Instituto valde accommodatus videtur esse, ut, uandoquidem non possumus abscindere a nobis, more ere-nitarum, usum rerum huius mundi, saltem ponderemus om-ia et attendamus quanti valeant; et cum viderimus non esse es dignas affectione cordis nostri, *utamur hoc mundo tam-*

quam non utentes (I Cor. 7, 31). Ac primum incipiendo a gustatu, in cuius castigatione omnes sancti posuerunt primum gradum perfectionis, sine quo ad ceteros ascendi non potest, quomodo utemur cibis tamquam non utentes? Si dimissa cura superioribus, nihil solliciti erimus quid nobis detur, et ad litteram servabimus Domini praeceptum : *Ne sollicitis sitis animae vestrae, quid manducetis* (Matth. 6, 25); et illud : *Manducate quae apponuntur vobis* (Luc. 10, 87), id est : Nolite quaerere plura, non meliora. Novi quendam qui initio sui ingressus in religionem omnia indifferenter accipiebat, putans sic esse necessarium, nec licere aliud quaerere. Deinde paulo post vidit aliquos alios qui non erant contenti quibusdam rebus, et propterea dabantur eis alia. Quare coepit etiam ipse multa respicere, alia quaerere; et si non dabantur, tristari, murmurare apud se, etc. Tandem postea, Deo miserante, coepit cogitare : « Quid facio? Quae est haec servitus mea? » Si non daretur nisi panis et vinum, nonne haberem plus, » quam multi pauperes de hoc mundo et quam multi sancti » voluntarie pauperes? Inquieto meipsum, sum malo exem- » plo ceteris, onerosus superioribus; et quorsum? Quid mihi » nocebit hoc aut illud? »

DE CUSTODIA CORDIS

Exhortatio tertia

Quam felix sit, qui potest dicere cum propheta : *Dirupisti, omine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (Psalm. 5, 16. 17), novit is solus, qui experitur. Est enim manna sconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Exprimit hoc nctus Augustinus, 9 Confess. c. 1. *Quam suave mihi subito ctum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus erat, iam dimittere gaudium erat. Eiciebas enim eas tu a me, ra et summa suavitas. Eiciebas et intrabas pro eis omni volu- ate dulcior, sed non carni et sanguini, omni luce clarior, sed ni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus se. Iam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, acquirendi, et volutandi atque scalpendi scabiem libidinum; garriebam tibi claritati meae, et divitiis meis, et saluti meae, omino Deo meo.* Come uno che è scapato d'un gran peri- lo, non si puo satiar di raccontarlo et dirlo à tutti i suoi nici, et non tanto parla quanto ciarla, cosi dice S. Agostino : *arriebam tibi,* etc., cum esset liber ab ambitione, avaritia, xuria, etc., et omnia bona in uno Deo reperisset.

De hac libertate coepimus loqui, et diximus de libertate quirenda a delectatione, quae intrat per sensum gustandi. am, ut dicit Cassianus in lib. de Spiritu gastrimargiae, prima bis calcanda est gulae concupiscentia. Nam sicut in ludis ympicis non admittebantur ad agones, nisi qui se liberos te probassent, ita Deus non admittit ad graves pugnas cum

daemonibus, unde gloriosissimi referuntur triumphi, nisi eos, qui ostenderint se non esse carnis suae servos.

Iam igitur de voluptate quae intrat per sensum tangendi, omissis impudicitiis, quae nec nominari debent inter nos. Id solum dicam, oportere, ut minimum, contentum esse iis quae communiter habent ceteri, sive circa vestium asperitatem, sive circa lecti paupertatem, sive circa somnum, sive circa alia quae ad calorem, frigus et alia id genus pertinent. Ut autem quis veniat ad hanc libertatem, ut non quaerat plura nec meliora, sed absque ulla sollicitudine sumat quod datur, tria occurrunt remedia.

Primum ut absolute expendat rem et videat si utile est eam emere. V. g. cum quis iacet in lecto et audit signum ad surgendum. Si forte cupiat pigritari ad quadrantem horae, cogitet quantum tandem sit lucrum modicae illius quietis, et an non sit longe maius meritum promptae obedientiae in surgendo; maior utilitas ut sit paratus ad orationem; maius lucrum temporis illius pro studiis, ne cogatur post orationem tempus terere in lecto accommodando, lavandis manibus, etc.; denique an non sit res illa modicae quietis indigna quae appetatur ab anima religiosa, quae paulo post cum Deo tractatura est de rebus aeternis et infinitis. Idem dico de aliis eiusmodi. Exemplum de emptore qui, si sapiens sit, de rebus quae brevi corrumpuntur non emit nisi quantum est necessarium; et si forte excedit, detrimentum se pati putat. Consolatio carnis res est peritura cum ipsa carne, etc.

Alterum remedium est, cogitare de re eadem comparative ad alios nostrae professionis. Non oportet se comparare cum divitibus et nobilibus huius mundi; sic enim quidam affliguntur, dum cogitant quid in saeculo habeatur. Sed si cogitemus qualiter se habeant ceteri qui profitentur paupertatem ut nos, inveniemus nullos tam delicate vivere quam nos. Nam surgunt media nocte, aut vestiti dormiunt, aut super paleas tantum, aut cilicio induti, aut seminudi incedunt. Quot vere sunt ex iis, qui non profitentur paupertatem, et tamen miserius vivunt! Sicut igitur qui profitetur unam artem, non

erbit, si doctior sit iis qui eam non profitentur, sed con-
ditur si non sit aequalis ulli eorum qui eam profitetur, vel
incatur ab aliquo, qui eam non profitetur; ita etc...

Tertium remedium est, ut cogitemus quam iuste conveniat spiritus concupiscat adversus carnem et esuriat ac sitiat titiam, id est vindictam pro Deo et pro se, quandoquidem o tam multum concupiscit adversus spiritum. Dicit quidem ostolus quod *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus m adversus carnem* (Galat. 5, 17). Sed prima pars huius ntentiae impletur in omnibus; secunda in paucissimis, immo multis nullum bellum esse videtur. Nam si detur carni ali-id amplius vel cibi, vel somni, vel quietis, gaudet caro et ritus facile se accommodat. At si contra detur carni minus lito, ut spiritus plus habeat, caro murmurat et spiritus non ltum laetatur. Ubi igitur pugna? ubi iustitia? Aequumne ut caro suis concupiscentiis laedat spiritum et proinde um, et spiritus non irascatur et ulciscatur? Hinc igitur ncti concipiebant spiritum vehementem desiderandi adver-s carnem, tum ut Deo satisfacerent pro culpis quotidianis, n ut superbiam carnis tererent. Et sicut qui solvit stipen-m operariis, praesertim malis, diligenter cavet ne unum olum plus tribuat quam necesse sit, ita etc... Qui autem duit hunc spiritum concupiscendi adversus carnem et inci-esurire ac sitire iustitiam, ei non est difficile contentum se rebus communibus.

Sequitur nunc ut dicamus de delectatione, quae intrat per ulos et aures. Quod quidem magna eget cautione, tum ia etiam eminus vulneramur per oculos et aures, quod non per tactum et gustum, tum etiam quia per oculos et aures on solum intrant colores et soni, sed etiam honores, pom-e, dignitates, invidentiae, etc.

Remedium unicum est non defigere oculos, nec attendere , quae necessaria non sunt. Augustinus, ep. 110 ad sancti-oniales : *Oculi vestri si iaciuntur in aliquem, figantur in ne-inem.* Nam non imprimit speciem, aut non nisi levissime id od obiter cernitur, nisi attente respiciatur. Nam etiam si

quis per ignem celerrime transeat, non multum laeditur. Sanctus Franciscus, ut de eo scribit Bonaventura, ita cautus erat ut nullam mulierem de facie nosset.

Remedium autem ut quis velit ita custodire sensus est cogitare quam facile possint impediri gravissima mala. Nam dum quis habet cor liberum ab amore alicuius rei, facile potest continere oculos ab ea re. Quid facilius, quam non attendere ad res alienas? Quam facile fuisset Davidi, antequam coepisset amare Bethsabeam, non defigere oculos in illam? At si quis hoc quod est facillimum non facit, iusto Dei iudicio incidit in gravissima mala, ex quibus vix magno labore se expedit. Sicut facile est per pontem caute ambulare, at non est facile, si quis cadat in flumen, inde enatare. Nam, ut Gregorius dicit, lib. 21 Moral. cap. 2, *qui non custodit oculos externos, Deo permittente, amittit oculos internos.* Videt quis rem illicitam negligenter; inde oritur concupiscentia et delectatio, etiamsi nolit; concepta autem delectatio excaecat oculum internum et facit velle, quod antea nolebat. Inde autem quis numeret mala quae sequuntur? Exemplum Davidis satis esse deberet. Ex incauta illa visione Bethsabeae sequutum est primo adulterium, quod in tanto propheta et tam illuminato non potuit non esse horrendum malum et ex multa caecitate, quam illa visio induxerat, exortum. 2° Adulterium traxit secum homicidium Uriae, in quo adhuc maior caecitas apparuit, cum ille fidelissimus miles Davidis esset. 3° Inde sequuta est mors infantis ex adulterio nati. 4° Sequuta est occisio Amnon ab Absalone procurata. 5° Amissio regni et expulsio ex patria eiusdem Davidis. 6° Occisio Absalon. Haec enim omnia Deus permisit in poenam peccati Davidis, ut illi fuerat comminatus. Quod si quis non possit complere suum desiderium, ut David fecit, sequitur saltem cruciatus animae, quae nec potest non desiderare quod amat, nec potest habere quod desiderat. Nam, ut idem Gregorius ait ibidem, *semel species formae cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu solvitur.* Quanta autem est afflictio, non posse non desiderare, et non posse desiderium implere! Quod si quis tandem etiam desiderium

nceptum exstinguit, tamen quanta sequitur confusio! quan- remorsus! quanta anxietas! Quanto igitur melius fuisset tio oculos claudere, et cum Iob dicere : *Pepigi foedus cum lis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (Iob, 31, 1). enim aliquis velit non solum non facere, sed ne cogitare idem illicita, illud est unicum remedium, facere pactum n oculis, ut non defigantur nisi in res necessarias.

DE CIRCUMCISIONE CORDIS

Exhortatio quarta

Quod B. Mariae dictum est : *Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum* (Luc. 1, 31), idem dicitur omnibus religiosis bonis et electis. Concipiunt enim desiderando perfectionem; pariunt ingrediendo religionem; et vocant partum suum Iesum, perseverando usque ad felicem consummationem. Sed multi concipiunt, et vere de Spiritu sancto, qui tamen non pariunt, sed abortiuntur; quibus melius erat non concepisse. Multi pariunt, sed non vocant partum suum Iesum; quibus melius erat non peperisse. Quid enim isti aliud habent, quam dolorem partus? Cur qui concipiunt, non pariant, non est huius loci exponere, quia ad eos loquimur qui pepererunt. Illud igitur solum videndum est, cur qui pariunt, non vocent filium suum Iesum. Sed docet nos evangelium crastinae celebritatis.

Legimus enim partum Mariae circumcisum, et tunc demum vocatum esse Iesum. Itaque inter natalem et salutem media est circumcisio, quam qui negligunt, numquam poterunt ad salutem pervenire.

Idem etiam docet quod sequitur in nostris exhortationibus. Inter morbos enim cordis, de quibus loqui coepimus, unus est incircumcisio. *Incircumcisi cordibus et animabus, vos semper Spiritui sancto restitistis* (Act. 7, 51). *Circumcidet Dominus cor tuum,* etc. Deuter. 30. Est autem cor incircumcisum, quando multas habet et superfluas cogitationes, affectiones et occupationes, quae ita interdum crescunt et cooperiunt undique ipsum cor, ut non possit ad ipsum penetrare cognitio et amor

)ei, quemadmodum quando folia impediunt ne calor solis
d poma perveniat. Quod remedium? Circumcisio. Dicetis :
um sumus circumcisi. Nam nihil habet homo nisi animam,
orpus et res externas. Haec autem valde circumcidimus per
ia vota. Nihil enim reservavimus ex rebus externis, nisi
mplicem usum; nihil ex corporalibus delectationibus, nisi
ecessarias ad vivendum, ut comedere, bibere, dormire; nihil
x libertate voluntatis et iudicio intellectus, nisi ut iudicemus
sse obediendum et eligamus obedire. Ita circumcidimus con-
piscentiam oculorum, concupiscentiam carnis et superbiam
itae. Haec bene se habent. Sed tamen tria consideranda sunt.

1° Ut ista circumcisio sit circumcisio cordis, id est volun-
ria et propter Deum, non coacta, non propter humanam
pem etc. Alioquin erit circumcisio iudaica, quae nihil habet
isi dolorem. Nam quot sunt pauperes in mundo circumcisi
xtremo modo, qui tamen nihil inde lucrantur, quia sunt
nimo et desiderio divites? Habent enim corpus, sed non cor
ircumcisum. Quot sunt continentes propter humanum me-
um vel necessitatem, qui etiam nihil lucrantur ex sua cir-
umcisione? Quot sunt obedientissimi hominibus, ut milites,
t aulici, ut alligati ad triremes, qui tamen non inde sunt
eliores, sed forte peiores? Signum verae circumcisionis est,
crescit in bonis spiritualibus. Nam sicut Abraham, cum
ircumcidit carnem suam, crevit multum apud Deum; in cuius
gnum Deus abstulit unam litteram ex nomine uxoris, quae
gnificat carnem, et addidit unam litteram nomini viri qui
gnificat mentem : illa enim Sarai dicebatur, et dicta est
ara; hic dicebatur Abram, et dictus est Abraham. Illi igitur
ui vere circumciduntur, pro opibus terrenis recipiunt opes
irtutum, pro delectationibus carnis delectationes spiritus, pro
bedientia regnum in seipsos.

2° Debet esse circumcisio perfecta, ut non tantum resecetur
ominium opum, sed etiam superfluitas in ipso usu; et imi-
emur Christum, qui in ipso suo natali idea esse voluit reli-
iosorum et vere circumcisorum. Nam imprimis ipsa infantia
st idea religiosorum. Nihil enim castius infante, qui nec

agere, nec loqui, nec facere turpia potest. Nihil pauperius infante, qui nudus nascitur, nec praetendit ius in aliquid, nec afficitur erga opes. Nihil obedientius infante, qui ad omnia movetur ab alio. Unde Cassianus, lib. de Habitu monachi, cap. 4, dicit monachos gestare cucullas, ut repraesentent infantium simplicitatem. Sed praeterea Christus non solum infans voluit nasci, sed etiam pannis involvi, ut etiam in ipso usu extreme se circumcideret; item poni in praesepi duro, non in lecto molli, ut non solum non haberet delicias, sed dolorem sentiret. Denique stabulum elegit, ut summe se humiliaret, quod ad obedientiam pertinet. Nam obedientia est quaedam humilitas. Imo sine humilitate obedientia est hypocrisis. Ille igitur vere circumciditur ad Christi formam, qui ultimo loco dignum se putat, et qui se id esse cogitat inter homines, quod est stabulum inter loca domus.

3° Oportet circumcidere occupationes, etiam alioqui utiles et sanctas. Et hic absolvemus, quod coepimus in superiore exhortatione. Nam, ut initio diximus, cor nostrum, loco suo, id est Deo, relicto, unitur creaturis aut propter voluptatem, aut propter necessitatem. Hic vero maximam invenio difficultatem. Nam ne cor nobis auferatur a voluptate, possumus providere, ut diximus, circumcidendo illud et aperte repugnando. At ne auferatur a necessitate, quomodo providebimus? Quaelibet ars, si bene disci debeat, totum hominem requirit; et nobis est necesse multas artes perfecte discere et docere : igitur totum hominem illis dare cogimur. Quo pacto igitur circumcidemus cor ab his occupationibus, si totum poni debet in philosophia, in rethorica, etc. Dices : facile id fiet, si regnet amor Dei in nobis, et totus quidem homo ponitur in studiis, sed propter Deum. At in hoc est tota difficultas, ut amor Dei perfecte regnet, si totus homo occupetur in studiis. Nam etiamsi propter Deum incipit aliquis studere, tamen dum toto animi conatu applicat se ad studia, ita illis afficitur ut de illis semper cogitet, et vel obliviscatur Dei, vel nonnisi raro et frigide assurgat in Deum. Existimo igitur tria remedia adhibenda.

a) Primo, ut intelligamus non esse impossibile in summis occupationibus tenere cor circumcisum ab affectu creaturarum. Nam Gregorius, cum esset pontifex et summa diligentia gubernaret Ecclesiam, tamen nihil ei adhaerebat de mundo et altissimis contemplationibus suspendebatur. Idem dici potest de S. Augustino, S. Bernardo, S. Bonaventura et aliis. Pater Ignatius admirabilis fuit in hac re. Nam cum tam diligenter gubernaret totum ordinem suum et occupatissimus esset, tamen adeo liber et collectus manebat, ut ipse diceret se non invenire aliquid, ex cuius iactura perturbari posset, nisi forte id esset ruina totius Societatis; sed neque hinc ita se perturbandum, ut non speraret per orationem unius quadrantis horae se rediturum ad pristinam serenitatem.

b) Secundo, ut intelligamus et serio nobis persuadeamus necessarium esse ut, si totum hominem ponimus in occupationibus externis, sive studiis litterarum, non tamen totum tempus ponamus. Sit etiam suum tempus, quo cordi purificando vacemus. Et quidem S. Bernardus, lib. 1 de Consideratione, monet papam Eugenium ut non sinat se opprimi occupationibus, sed vacet etiam sibi. Id enim requirit charitas et aequitas. Cur enim de meo fonte bibant alii, et ego solus non bibam? Quomodo diligo proximum, sicut meipsum, si non diligo meipsum? Aut quomodo diligo meipsum, si nihil temporis pono in profectu mei ipsius, sed totum in alieno? Deinde idem requirit charitas proximi. Nam non bene seriam illis, nisi ego sim bonus. Si quis toto die et nocte vacaret negociis aliorum, et non comederet neque dormiret, videretur uno aut altero die mirabiliter iuvare proximos, sed tertio die deficeret, nec posset amplius eos iuvare; ideo utile est proximo ut iste aliquando cesset ab eo officio, et comedat ac dormiat, ut possit labori sufficere. Ita de anima dicendum est. Qui enim effunditur totus in externis occupationibus, evanescit et saecularescit, nec potest postea fructuose iuvare, etiamsi doctissimus fuerit. Exemplum de vitibus, quae, cum putantur, videntur privari sarmentis et proinde fructu uvarum, et tamen re vera iuvantur, ut plus vini et melius et diutius ferant.

c) Tertio, in particulari quod sit tempus impendendum cordi purificando, ex regulis discimus; ubi praecipitur ut orationi, meditationi et lectioni spirituali omnes suum tempus ponant cum omni diligentia in Domino. Et certe qui hoc iubet, non vult totum tempus poni in studiis aut aliis occupationibus. Si quis autem cognoscere velit an vacet orationi, missae, examini et officio divino cum omni diligentia, facile id cognoscet ex diligentia quam ponunt diligentes scholastici in studiis. Oporteret enim saltem tantam ponere, si non maiorem, in rebus spiritualibus. Diligens scholasticus raro aut numquam patitur in studiis evagationem ob spirituales cogitationes. At num in oratione raro aut numquam patitur evagationem ob studia? Diligenti scholastico numquam videtur nimis longum tempus studiorum, imo semper queritur de brevitate, quaerit primas missas (1), etc. At num tempus missae non videtur multis nimis longum? Saepe audivi publice reprehendi magistros, quia nimis prolixi sunt in lectionibus; sacerdotes autem saepius audivi reprehendi, quia sunt nimis breves. Scholastici diligentes erubescunt, nisi singulis annis ascendant ad altiorem facultatem; proinde quotidie nituntur proficere. At quot sunt ex nobis, qui in studio orationis semper sunt iidem, aut potius deficiunt? Scholasticus diligens non legit lectionem suam perfunctorie et recitative solum, sed attente et considerate, ut intelligat. At horas canonicas quam saepe legimus per modum recitantis, ut cum pueri reddunt memoriter lectionem, cum legendae essent per modum orantis et laudantis Deum, vel ipsum nobis loquentem audientis.

Et sane si quis sciret horas canonicas legere non recitative, sed affective, induendo in psalmis affectum eius qui eos composuit, et in lectionibus attendendo quasi legerem epistolam Dei ad me missam, et epistolam consolatoriam, increpatoriam et instruentem, nec longum videretur officium, et evagationes locum non haberent, et animus mire profice-

(1) *Cod.* mensas.

et. Ad quod faciendum satis esse deberet cogitare, quod umma Dei Maiestas dignatur nos vermiculos respicere, au- ire et respondere. Certe P. Ignatius si recitative tantum fficium persolvisset, non fuisset opus ei prohibere ne illud geret, ne oculos perderet prae lacrimarum abundantia. De ancto Francisco scribit S. Bonaventura in eius vita cap. X um solitum legere horas semper stando, non sedendo, non mbulando, sine interruptione et nudo capite, etiamsi forte n itinere esset et pluvia eum apprehenderet; nimirum habe- at Deum ante oculos. Num etiam nos, si, non dico Deum, ed papam alloqueremur in via, num auderemus tegere caput, tiamsi plueret? Denique scholasticus diligens, etiam tem- ore illo quod non est proprium studiorum, de studiis agit, t tempore recreationis et ambulationis. Cur non eo tempore le rebus spiritualibus potius agit, si idem studium in his ebus ponitur atque in litteris?

DE DURITIA CORDIS

Exhortatio quinta et sexta

(1584, 1 Ianuario)

Inter alios cordis morbos unus est valde periculosus, duritia seu gravitas cordis. *Cor durum habebit male in novissimo.* Ecclesiastici 3°. — *Usquequo gravi corde?* Ps. 4. De quo morbo quattuor tractanda sunt.

1° Quid sit cor durum;
2° Quam gravis sit hic morbus;
3° Unde oriatur duriţies ista;
4° Quae sint remedia.

1° Quoad primum. Durum cor dicitur, quando perdit sensum et motum. Res enim quae alioqui sentiunt et moventur, ut caro viva, cum durantur, fiunt insensibiles et immobiles. Exemplum de iumentis. Sic etiam cor tenerum et sentit, et afficitur ad minas, ad promissa, etc.; et ideo timet, sperat, dolet, gaudet, et inde movetur ad operandum. At cor durum, instar lapidis, non sentit, non afficitur, non movetur. Prov. 21, 28 : *Beatus homo, qui semper est pavidus; qui vero mentis est durae, corruet in malum.* Ubi opponit duritiem timori. Et Hierem. 5 : *Percussisti eos et non doluerunt; indurata est supra petram facies eorum.* Et hinc nascitur tanta diversitas inter homines, quod aliqui promptissimi sunt ad labores propter Christum, ad ieiunia, ad vigilias; alii contra. Imo quidam angeli videntur, quidam daemones, cum tamen omnes sint homines. Sed non est mirum; nam cor est principium actionum, et alii habent cor lapideum, alii tenerum ut ceram liquescentem, ut David de se dicit Ps. 21. Exempla sanctorum.

Est autem observandum non eandem esse cordium duro-

rum duritiem. Ut enim quidam duros habent pedes, ita ut non sentiant lapillos, tamen sentiant spinas, si ab illis fodiantur, alii ne spinas quidem sentiant; ita etiam quidam non sentiunt vulnus peccati venialis, mortalis autem sentiunt; alii nec mortalis sentiunt. Item quidam totum cor durum habent, alii unam partem tantum; sicut stulti aliquando in omnibus rebus delirant, aliquando in una re tantum. Aliqui sunt qui habent superficiem cordis teneram, et inde facile moventur ad lacrimas et affectus quosdam, cum audiunt passionem Christi, etc.; tamen intra illam superficiem latet mira durities. Nam sunt obstinati in suis iudiciis, sunt inflexibiles ad labores subeundos, nihil incommodi pati volunt! Ordinarie enim qui habent carnem teneram et delicatam, illi habent cor durum; et contra. Hoc significavit Dominus in parabola de semine quod cecidit super petrosam terram. Nam quia erat in superficie terra mollis, continue natum est germen viride; sed paullo post exorto sole aruit, quia non habebat radices; nam sub illa superficie erant petrae. Ita quidam facile moventur ad devotionem; sed, minima tentatione exorta, turbantur, etc. Isti deberent cogitare, ut monet D. Bernardus serm. 3 de Circumcisione, illam gratiam devotionis non sibi donatam, sed commodatam ad tempus ut provocentur ad bonum, et facillime amitti. Exempla eorum, quos novi devotos in superficie, et tamen vel nimis delicatos, vel sui capitis, qui perseverare non potuerunt.

E contrario alii sunt, qui habent superficiem duram, sed substantiam ipsam cordis teneram; id est, non habent sensibilem devotionem, nec cordis dilatationem, nec gustum in oratione, sed cum labore et dolore vincunt se ipsos, orant, student, obediunt, etc.; tamen cupiunt libenter facere, et re ipsa faciunt, sive libenter, sive illibenter, totum quod est faciendum. Atque hos, si non sua culpa carent sensibili devotione, consolatur S. Bernardus in sermone 3 de Circumcisione, ubi dicit quod quidam toto tempore vitae suavem quaerunt devotionem et non inveniunt, sed mox ut exeunt de corpore, redditur eis quod dispensatorie fuerat negatum.

Sed tamen quia periculosum est habere duritiem in qualibet parte cordis, ne forte quae est in superficie paulatim penetret interiora, oportet conari ut totum plane cor molliatur et liquescat, et ad illam perfectionem aspirandum est in qua versantur illi, qui gustantes quae Dei sunt, sine labore laborant.

Dictum fuit aliquando S. Francisco initio conversionis, cum adhuc multa dura ei viderentur, ut servire leprosis, oportere eum ita mutari totum, ut quicquid tunc ei placeret, displiceret, et quicquid ei tunc displiceret, placeret; ita ut non solum faceret quod displicet carni, sed delectaret in eo faciendo, et non solum fugeret ea quae placent carni, sed etiam delectaretur in ea fuga. Hoc autem non potest nasci nisi ex intima notitia, et luce, et gustu bonitatis et dulcedinis Dei. Haec enim est, quae cor plane mollit et liquefacit. Haec de primo.

2° Quoad secundum. Magnitudo huius morbi ex quattuor capitibus colligitur.

a) Primo, quia difficillime curatur. Nam medicina eo minus operatur, quo natura minus habet virtutis, motus et sensus. Non enim est medicina quae sanat, sed natura ipsa adiuta instrumento medicinae, et ideo nulla medicina curare potest mortuos. Cum igitur cor durum simile sit mortuo, non sentiat, non moveatur, miraculo opus esse videtur. Nam cum non sentiat se aegrotare, non putat sibi dici cum arguuntur vitia, nec applicat sibi remedia. Imo nec intelligit esse malum id quo ipse laborat, et miratur si ab aliis illud timeatur.

b) Secundo, cognoscitur gravitas huius morbi ex detrimento quod adfert in praesenti. Nam cor durum, quia simul est grave, facile corruit in profundum. *Qui mentis est durae,* inquit Sapiens, *corruet in malum* (Prov. 28, 14). Qui non gustat Deum nec est illi familiaris, etiamsi poterit perseverare sine peccato mortali, si non habeat occasionem et tentationem gravem, tamen, si occurrat occasio et tentatio, facillime corruet. Sicut qui domi suae non habet quod perdat, facile patrat homicidia; et qui non habet domi delicias, facile acceptat ab aliis oblatas. At qui domi multa bona habet, non facile ea relinquit propter aliquid aliud, etc...; ita etc... Et sicut qui cadit in flumen et

nescit natare, mox ruit in profundum et defertur a flumine; ui autem scit natare, facile evadit; ita etc... *Quoniam in me peravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum* (Psalm. 90, 14).

c) Tertio, cognoscitur inde quod privatur incredibili laetitia t consolatione. Sicut enim non sentit damnum spirituale, ita ec spirituales consolationes, sed vivit sine gustu, sine sa-ore, etc.

d) Quarto, maxime cognoscitur ex futuro detrimento. Nam *or durum habebit male in novissimo* (Eccli. 3, 27). Nota quod icit, *habebit male,* quia, etiamsi in praesenti habeat male, amen respectu futuri nihil mali videtur habere. Item dicit, *abebit male,* quia nunc non cognoscit malum quod habet, d in puncto mortis cognoscet et sentiet. Tunc enim poena periet oculos, quos culpa clauserat. Tunc intelliget se toto empore vitae nihil aliud egisse, nisi quod dicit Apostolus de nduratis, Rom. 2 : *Thesaurizas tibi iram in die irae et iusti udicii Dei.* Deus largitur spatium peccatori, ut purgetur per oenitentiam, et cor durum illo spatio abutitur, ut semper magis et magis se maculet. Nam qui insensibilis est, non sen-it, nec timet, proinde nullam peccandi occasionem amittit, et *ibit,* ut inquit Job, *sicut aquam peccatum* (Job. 15, 16), ut quo-idie videmus in multis saecularibus. Sed interim *thesaurizat ibi iram in die irae,* et in puncto mortis cognoscit et oppri-nitur immenso dolore et desperatione, et sic cadit, sicut lapis, n abyssum. Sed hoc idem suo modo etiam religiosis conve-nit, qui sunt insensibiles ad imperfectiones. Nam quia non entiunt, nec timent, non solum non sunt solliciti ut purgent ubiginem contractam, sed etiam summa facillime (1) peccant, t bibunt, sicut aquam, peccata venialia; et sic thesaurizant sibi ram in die irae, id est poenam in purgatorio luendam. Quae uidem poena tanta est, ut si bene consideretur, facile possit orda etiam durissima scindere. Sancti Patres Augustinus,

(1) *Ita cod. Abundat* summa, *vel corrigendum erat :* summa facilitate.

Gregorius, Beda, Anselmus et Bernardus dicunt poenam purgatorii maiorem esse poenis omnibus huius vitae. Idem ostendunt multae revelationes et visiones, quas referunt Beda, Dionysius Carthusianus, sancta Birgitta, vita Christinae, etc. Si daretur optio alicui, ut per unum annum sine cessatione laboraret dolore dentium aut colico aut podagra, vel certe quotidie per unum annum gereret cilicium aut ieiunaret, nemo dubitaret quid esset eligendum. Quid autem, si daretur optio, ut quis per decem annos sine intermissione laboraret dolore dentium et podagra et colico simul, aut per unum diem gestaret cilicium? Nonne stultus esset qui dubitaret? Cum ergo certi simus maiores esse illas poenas quam sit podagra et dolor dentium et alia huiusmodi, nonne cor erit plus quam lapideum, si non moveatur et non velit per parvos et breves labores huius vitae poenas illas evadere? Scribit Beda lib. 5 hist. cap. 13, de quodam qui viderat poenas purgatorii, et ad vitam reversus, coepit vitam asperrimam ducere. Nam in media hieme stabat in fluvio usque ad collum, etiam quando congelatus erat; nec postea vestes exuebat, sed in corpore suo siccari eas sinebat. Cumque ei multi dicerent : « Quomodo potes » tantum frigus pati? » respondebat « Frigidiora ego vidi »; et cum iterum dicerent : « Quomodo potes tam austere vivere? » respondebat : « Austeriora ego vidi ».

Sed exemplum prorsus mirandum est B. Catharinae Genuensis. Nam in eo habemus et quam horribiles sint poenae purgatorii, et simul pro quam parvis peccatis infligantur. Illa quo die conversa est, coepit ardere incredibili charitate, nec umquam retrocessit. Habuit contritionem per menses 19; confessa est generaliter, deinde primis quattuor annis conversionis suae egit poenitentiam asperrimam de praeteritis quamquam levibus peccatis. Nam non comedit carnes, nec fructus, nec aliquid quod ei saperet. Vestivit cilicium; dormiebat super spinosas res. Quotidie per sex horas orabat. Servivit hospitali longissimo tempore; curabat aegrotos, tangebat plagas horribiles, etc. Et tamen ultimis annis voluit Deus ut ipsa in hoc mundo pateretur poenas purgatorii ut, purgatis etiam levissi-

nis offensis, recta migraret in caelum. Et primum fuit illi ostensa poena purgatorii; et postquam multa mira dixerat de a poena, subiunxit : *Tutte queste cose sono di tanta estremità, he ogni vista, ogni parola, ogni sentimento, ogni imaginatione, gni giustitia, ogni verità mi paiono bugie et cose da niente. Resto ncor confusa per non saper trovar vocabuli più estremi.* Deinde ostensum est ei quod purgatorium tale in hac vita esset gustura, et ex tali visione ita exhorruit, ut fere impos mentis fieret. Venit deinde purgatorium, et erat desiderium unionis um Deo tam immensum ut intolerabile videretur, quomodo um aegroti siti ardent, nec possunt bibere. Excitabat ille ardor spiritus tantum ignem etiam in corpore, ut incredibiliter totum corpus torqueret. Et ipsa testata est se in illo ardore coniecisse carnes suas in ignem et magnas plagas sibi fecisse, nec tamen sensisse quidquam ob ignem incomparabiliter intus ardentem. Denique confessarius eius post mortem ipsius, cum ex revelatione cognovisset quam ingens martyrium passa illa fuisset, non potuit per integram horam desistere ab amarissimo fletu. Iam igitur si anima tam sancta et perfecta tale purgatorium passa est, quid paratum est imperfectis? Et quam vere scripsit Sapiens : *Cor durum habebit male in novissimo!*

3° Quoad tertium (1). Unde oriatur duritia cordis? S. Bernardus, lib. 1. de consideratione, dicit eam nasci ex consuetudine. Nihil enim magis inducit stuporem et insensibilitatem quam longa consuetudo. Qui assuevit calceatus incedere, si cogatur nudis pedibus ambulare, primo die vix tolerat, sentit enim etiam minimas festucas; post aliquot dies incipiunt durari pedes, et non sentit nisi lapillos grandiusculos. Tandem post multos dies obducuntur calli pedibus, et nihil amplius sentitur. Sic etiam aliquis valde devotus, si cogatur uno die omittere orationem, aut officium, aut missam, primo die intolerabile iudicat; secundo die non iudicat adeo grave; 3° die

(1) *Notavit Bellarminus in margine :* Haec pertinent ad aliam exhortationem, quae est sexta, in qua explicantur tertium et quartum caput.

etiam leve sentit; 4° die nec sentit. Et hic incipit durities; 5° die crescit durities; nam si antea non sentiebat damnum illius omissionis, nunc etiam gaudet se quasi liberum esse ab illo onere; 6° die tristatur, si cogatur redire ad pristinam vitam. Idem dici potest de peccato commissionis. Qui enim incipit transgredi legem Dei in quovis genere peccati, primo die sentit remorsum vehementem, sed paulatim minuitur, donec veniatur ad insensibilitatem, iuxta illud : *Impius cum in profundum venerit malorum, contemnit.* Proverb. (18, 3). Et ulterius etiam progrediuntur, *ut laetentur cum male fecerint, et exultent in rebus pessimis* (Prov. 2, 14).

4° Quoad quartum. Quod remedium contra duritiem cordis? *a*) Primum et singularissimum est petere a Deo ut cor emolliat. Nam habet Deus certum quoddam unguentum, quod statim corda emollit. *Gratia Dei,* inquit Augustinus de Praedest. cap. 8, *a nullo duro corde respuitur, nam ad hoc datur ut duritia cordis primitus auferatur.* Et Job, cap. 23 : *Deus mollivit cor meum.* Deus enim habet duo genera unguentorum : unum, quo ungit omnes, et quod dat etiam non rogatus. Nam si ipse exspectaret ut rogaretur, et non praeveniret illustrando, pulsando, vocando, nemo unquam eum rogaret. Sicut qui in foveam proiectus dormit, non potest rogare ut excitetur et eruatur inde; sed si excitatus fuerit ab aliquo eum vocante, tunc poterit rogare ut excitetur perfecte et eruatur. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, etc. Deus igitur omnibus donat illud unguentum primum, quia pulsat ad cor omnium : *Ego sto ad ostium et pulso* (Apoc. 3, 20). Sed non omnes aperiunt; multi claudunt oculos et aures, etc.

Sed habet Deus aliud unguentum, quod numquam reicitur, licet reici possit. Nam mollit corda, et de nolentibus facit volentes. Nemo enim est tam durus, quin statim mollescat, si Deus velit loqui ad cor eius eo modo quo ipse scit, et ostendere nescio quid pulchri, quod ipse novit. Sed hoc unguentum Deus non ita prodige effundit; et saepe vult a se peti multis precibus, vel propriis, vel alienis. B. Paulus in momento unctus fuit hoc unguento, et ex lapide cera mollissima evasit; sed

impetraverant hoc preces S. Stephani. S. Augustinus millies legerat epistolas Pauli, audierat conciones S. Ambrosii, disputaverat cum multis catholicis, nec moveri potuerat. Tandem aliquando legit unum locum S. Pauli, quem saepe arido corde legerat, et, ungente cor eius Deo, per illam lectionem perfecte conversus est. Sed impetraverant hoc lacrimae matris eius multorum annorum. Sanctum Franciscum Deus vocavit paulatim. Primum enim inspiravit illi desiderium petendi gratiam Dei et perfectam conversionem, et sic ille longo tempore oravit gemitibus inenarrabilibus. Et tandem, post multas preces, in aspectu cuiusdam crucifixi Deus unxit hoc unguento oculos et cor eius, et vidit crucifixum illum, quem forte saepe viderat arido corde, novis quibusdam oculis, ita ut per illum mox penetraverit in cor eius conversio et devotio et cognitio perfectissima. Oportet igitur hoc petere assidue. *Si non es tractus*, inquit Augustinus, *ora ut traharis*.

b) Alterum remedium est, et quidem magis particulare, occurrere initio malae consuetudini. Nam si inde oritur induratio, certe non orietur si non fiat consuetudo. Ad hoc autem necesse est pertinaciter perseverare in bonis propositis et studiis pietatis, et cogitare quod, etsi parum videtur uno die omittere orationem aut aliquid simile, tamen non est parum, cum ducat ad cor durum.

c) Tertium remedium est, facere contrariam consuetudinem: et primum versandi cum Deo. Deus enim ignis consumens est; ideo qui sciret quam saepissime cor suum ad Deum erigere, non posset indurari. Et quia difficile est propter alia negotia recordari huius rei, S. Bonaventura docet utilissimum esse, si quis pro memoria locali accipiat horologium et quotiescumque audit horas, elevata mente ad Deum dicat unum *Gloria Patri,* vel unam collectam, vel aliquid simile. Posset etiam hoc accommodari ad varios dies, ut die Veneris, unum versiculum de Passione, die sabbati de B. Virgine, die Dominico de Resurrectione, etc. Et si quidem homo est cum aliis, sufficit corde id facere; si est solus in cubiculo, posset etiam ore, et oculis, et manibus, et genuflexione. Deinde utilissima

est etiam consuetudo cum sanctis tum vivis, tum mortuis. Sancti enim sunt veluti carbones igniti, qui etiam calefaciunt propinquantes ad se. Et ad hoc utilissima est lectio vitarum sanctorum. Illae enim sunt exhortationes vivae et conciones rerum, non verborum, quae mirabiliter movent. Denique utilissimum est ad acquirendos bonos habitus, proponere sibi breve tempus vitae. Nam si mihi nunc revelaretur a Deo, me ante Pascha moriturum, certe maximo fervore hoc tempus transigere vellem, cum ex tam brevi tempore penderet aeternitas felicitatis, aut miseriae meae. Sed licet mihi non sit revelatum, tamen probabile est id futurum, cum videam homines mori omnium aetatum et condicionum, et multos qui nihil minus cogitabant. Itaque sine temeritate possum credere me moriturum ante Pascha, saltem valde probabiliter. Proinde volo me parare hoc parvo tempore, et attente vigilare super cogitationes, verba, opera, tamquam rationem brevi redditurus. Nam si, cum dicitur alicui : « Para te, quia defendes conclusiones in fine cursus », ille parat se, etiamsi sciat multis modis posse impediri illas disputationes; cur ergo non me parabo, etc.? Quod si non eveniat quod opinabar, nihil perdidi, imo multum lucratus sum. Et si rursus id faciam cogitans me non perventurum ad Pentecosten, paulatim acquiram habitum invigilandi super gregem meum, et facillime vivam perfecte, etiamsi multos annos victurus essem.

Potest etiam hoc fieri alio modo, ut faciebat S. Franciscus, qui ut toto anno ferventer Deo serviret, sumebat excitamenta a festis diebus. Nam a festo Omnium Sanctorum usque ad Natalem Domini ferventer vivendum est ob honorem Nativitatis; deinde usque ad Pascha ob honorem passionis et resurrectionis Domini; tum usque ad Pentecosten, ob adventum Spiritus sancti; inde usque ad Assumptionem, ob honorem Matris Dei, inde usque ad festum S. Michaelis ob honorem angelorum, denique inde ad festum Omnium Sanctorum ob honorem sanctorum. Nam sic homo seipsum utiliter decipit, cui durum videretur imponere, ut toto anno vigilaret; quomodo solemus decipere aegrotos ut comedant et debiles ut ambulent.

DE DONIS SPIRITUS SANCTI

Exhortatio prima. De dono timoris

(11 maii 1585)

Quia propinquamus festo Pentecostes, tractandum existimavi de donis Spiritus sancti, quae illo die copiossime effudit in apostolos, et quotidie effudit in alios iuxta infinitum thesaurum misericordiae et liberalitatis suae.

Dona praecipua enumerantur septem, Isaiae 11 : *Sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas et timor.* Quae quidem dicuntur dona, quia non emuntur, sed gratis dantur. Nam nec pretium ullum inveniretur, nec auctor indiget ulla re. Et dicuntur Spiritus sancti, quia sunt res quaedam peregrinae, quae non inveniuntur in officinis hominum vel angelorum, sed a solo Spiritu sancto, id est a solo Deo, dari possunt. Dicuntur autem dona Spiritus sancti, non Patris aut Filii, quia hominem spiritualem efficiunt, ut omittam alias causas, et sanctum. Nam sunt ista dona septem quasi septem gradus, quibus Deus perducit hominem ab initio conversionis ad summam perfectionem. Isaias enim coepit a sapientia et venit ad timorem, quia respiciebat istam scalam ut a coelo ad terram demissam, et sic numeravit descendendo. At si respiciamus quomodo ista scala a terra perducit ad coelum, et numeremus ascendendo, primus est timor, ultima est sapientia. Itaque primum omnium Deus donat spiritum timoris, ut incipiat hominem excitare a somno peccati. Inde proceditur ad pietatem; nam concussi per timorem, agunt poenitentiam, iustificantur, efficiuntur filii Dei, et sic induunt viscera pietatis, et

Deum ut Patrem clementem respiciunt, quem antea ut severum Dominum respiciebant. Tum vero timentes et amantes Deum, incipiunt solliciti esse quomodo vivant, quid agant, quid fugiant, ne Deum offendant. Itaque tertio loco dat illis Deus scientiam, qua intelligant quae sit voluntas Dei, quid ab illis requirat, etc. Ubi vero id cognoverint, quia in executione non parva est difficultas ob adversarios fortissimos, diabolum, mundum, carnem, dat Deus quarto loco spiritum fortitudinis. Et quia contra eos, quos diabolus vi superare non potest, insidias tendit et stratagemata, dat Deus quinto loco spiritum consilii, ut prudenter intelligat astutias diaboli et caveat ab eius insidiis. Tum vero animam sic exercitatam in vita activa, post aliquot victorias de diabolo reportatas et urbem bene firmatam et munitam, ducit Deus ad altos montes contemplationis; et sexto loco dat illi intellectum, quo valeat meditari et penetrare mysteria caelestia. Et tandem septimo loco infundit sapientiam, quae est ipsa dulcis et sapida contemplatio, quae sequitur meditationem, et est participatio quaedam vitae beatae.

Ut igitur a timore incipiamus, tria de illo dicemus :

1° primo, quis sit ille timor, quod est donum Spiritus sancti;

2° secundo, quanta est eius utilitas;

3° tertio, quod medium sit pro eo obtinendo et conservando.

I. Quantum ad primum, quinque timores distinguuntur a theologis. Primus est naturalis, qui etiam in bestiis reperitur, et hic non est bonus nec malus, proinde nec donum Spiritus sancti, quamvis bonus sit naturaliter, et a Deo insitus naturae ad eius conservationem.

2^us^ est humanus seu mundanus, cum quis timet damnum temporale inordinate, id est plus quam Dei offensam et damnum aeternum. Et hic est vitiosus et radix infinitorum malorum, et rari sunt qui non laborent hoc morbo saltem ex parte.

3^us^ est timor servilis, et hic est, cum quis timet damnum aeternum, et propterea non peccat; tamen si non esset poena illa, peccaret. Hic timor est bonus et a Deo. Nam etiamsi

in peccatoribus est coniunctus cum illa mala voluntate peccandi, si posset impune, tamen non est ipse causa vel effectus illius malae voluntatis, imo e contrario illam comprimit et coercet saltem quoad actum exteriorem. Et hic est ille timor qui praecedit pietatem et ad illam disponit, et de isto scriptum est : *Initium sapientiae, timor Domini* (Eccli. 1, 16).

4^us^ est timor filialis, castus et reverentialis, et est ille, quo timemus culpam et nolumus peccare, quia nolumus Deum offendere, etiamsi impune possumus. Hic dicitur filialis, quia est proprius filiorum ad patrem; et castus, quia est sponsae ad sponsum; et reverentialis, quia est amici inferioris ad superiorem, qui timet eum contristare, quia colit et reveretur eum. Et hic etiam est donum Dei, sed non praecedit pietatem, sed cum illa manet, quasi eius frater germanus. Nam tam ipse quam illa oriuntur ex matre charitate, et sunt tam similes et coniuncti ut in Scriptura saepe eodem nomine appellentur. Unde Isaiae 11, ubi numerantur septem dona, non ponuntur nisi sex nomina in hebraeo, sed ultimum bis repetitur.

Quintus timor est initialis, et hic est mixtus ex duobus praecedentibus. Nam timet poenam et culpam, sed magis culpam quam poenam. Atque hic est in omnibus piis hominibus, dum hic vivunt. Verum, quando est crescente charitate, minuit timorem poenae, quia, crescente amore Dei, homo semper magis et magis obliviscitur proprii commodi et acquirit etiam securitatem apud Deum, qui pellit sollicitudinem. Unde Ioannes dicit : *Perfecta caritas foras mittit timorem* (I Io. 4, 18). Tamen in hoc mundo raro aut numquam est tam perfecta charitas, ut non sit utile timere gehennam. Unde Dominus futuris martyribus dicit : *Timete eum qui potest mittere in gehennam* (Luc. 12, 5). Et maximi etiam sancti leguntur timuisse iudicium et gehennam, ut David : *A iudiciis tuis timui* (Psalm. 118, 120). Et Iob : *Quid faciam cum venerit ad iudicandum Dominus?* (Iob 31, 14). Et sanctus Hieronymus scribit ad Eustochium se ob gehennae metum elegisse solitudinem. Et quamvis quaestio sit, utrum timor poenae sit unum ex septem donis Spiritus sancti, et aliqui nolint, quia is timor non fuit

in Christo, in quo tamen fuerunt omnia dona, tamen S. Augustinus, lib. de gratia et libero arbitrio cap. 18, Gregorius hom. 19 in Ezechielem, satis clare docent etiam timorem poenae, qui minuitur crescente charitate, pertinere ad illum timorem, qui est septimum donum Spiritus sancti. Illud enim donum comprehendit omnem timorem bonum, qui datur nobis a Deo, et is fuit in Christo secundum unam speciem tantum, non secundum omnes. Sed quidquid de hoc sit, omnes tamen concedunt omnes illos tres timores esse dona Dei, sive sint ex septem, sive non.

II. Quantum ad secundum, multae sunt utilitates timoris Domini.

1° Prima, quod est initium sapientiae. Quae sententia saepe in Scriptura reperitur. Est autem timor Domini, initium sapientiae, quia tunc primum homo incipit sapere et revera uti iudicio et bene discurrere, cum incipit magni facere res aeternas, gehennam, gloriae amissionem, et similia. *Cor sapientis,* inquit Sapiens, *in dextera eius; cor stulti in sinistra illius* (Eccle. 10, 2). Qui habent cor ad sinistram partem, id est ad res temporales, stulti sunt, quia cor est immortale, et res istae sunt temporales, quae ipsum deserunt, cum minus cogitant. Si quis traiecturus flumen latissimum, fabricaret pontem brevissimum, qui ne ad quartam partem quidem fluminis perveniret, et in eo ponte ornando consumeret totum suum tempus et pecunias, certe stultus esset. Nam cum esset postea transiturus, statim pons eum deseret. Si quis esset iter facturus per unum annum per desertum aut per mare, et magno sumptu compararet cibos et oneraret se, sed essent omnes cibi, qui post unum diem corrumpuntur, ut carnes recentes et similia, certe stultus esset, etiamsi videretur sapiens iis qui nesciunt quo ille iturus sit. Deberet enim, si saperet, emere bis coctum panem, carnes salitas, etc. Ita etc...

Et hoc etiam convenit religiosis, qui cor ad sinistram aliquando habere convincuntur, cum solliciti sunt de honoribus, vel de commodis, vel genere studiorum, etc. Magna ergo utilitas timoris Domini, qui transfert cor de sinistra ad dexte-

ram, et sanat stultitiam, qui videtur morbus incurabilis. Et est primus gradus ad iustificationem, sine quo non ascenditur ad alios. Unde Sapiens : *Qui sine timore est, non poterit iustificari* (Eccli. 1, 28). Denique introducit caritatem. Nam, ut ait Augustinus, *cum est ornanda aliqua vestis, fila serica et aurea sunt introducenda; tamen illa non intrant, nisi prius intret acus, qui est durus et acutus, et facile penetrat.* Itaque acus intrat primo, non ut maneat, non enim esset ornamentum, sed foeditas; sed ut introducat fila serica, quibus introductis, ille exit. Ita quoque ornari debet anima iustitia, charitate, pietate; sed ista non penetrant cor durum et assuetum amori rerum terrenarum. Idcirco immittit Deus acum timoris, qui pungit cor, et penetrat, et viam aperit charitati, et postea discedit, cum perfecta est charitas. Nec solum per modum acus pungit, sed etiam per modum tonitrui et fulguris terret, et terrendo excitat a somno et reducit hominem ad seipsum. Ludunt aliquando homines securi, vel etiam dormiunt. Apparet repente fulgur et sequitur tonitru cum fulmine; continuo excitantur, ad se redeunt, signo crucis se armant, invocant Deum, etc. Ita cum homines dormiunt in peccatis, vel ludunt et contemnunt res futuras inebriati rebus temporalibus, Deus aliquando repente fulgurat in corde immittens lucem suam, in qua illi serio apprehendant gehennam, iudicium finale, etc. Et simul terret quasi tonitru quodam, et concutit mentem, et eo modo eos disponit ad salutem. Ita sanctum Paulum Deus convertit primo percellendo praesentia maiestatis; ita etiam apostolis, quamvis piis, ante adventum Spiritus sancti, misit sonitum vehementem, quo illi territi humiliarentur et praepararentur ad gratiam illam eximiam recipiendam.

2° Secunda utilitas est, quod conservat et defendit animam in hac vita ab omni peccato; idque facit omnis timor sanctus, sed maxime filialis, qui non recedit nec minuitur veniente charitate, sed potius crescit. Quo enim quis magis amat, eo magis timet offendere rem amatam. Unde Iob. 31 : *Semper quasi tumentes fluctus timui Deum.* Nota *semper,* et, *quasi tumentes fluctus.* Vult enim dicere, semper et maxime se timuisse

ne Deum offenderet. Declarant hanc utilitatem sancti Patres variis similitudinibus. Basilius in primum caput Proverbiorum dicit timorem similem esse clavis, qui tenent hominem ne se movere possit, iuxta illud Ps. : *Confige timore tuo carnes meas* (Psalm. 118, 120). Nam non solum tenetur ne non possit se movere, si velit; sed etiam clavi faciunt ne non velit vel conari ad movendum, quia, cum conatur, magis pungunt clavi et maior existit dolor. Sic igitur cum accedunt tentationes et occasiones peccandi, qui habet in corde hunc timorem, securus est, quia statim pungit memoriam proponendo iudicium, gehennam, iram Dei. Chrysostomus, hom. 15 ad populum Antiochenum, dicit timorem esse quasi fortissimum militem armatum, semper excubantem ad fores animae hominis iusti, qui non permittit accedere fures aut latrones, aut ullos hostes. Alii comparant sali, qui conservat a putredine et corruptione, licet urat et pungat. Sed et ipsa Scriptura divina mirabiliter docet hanc utilitatem, cum omnem sapientiam, omnem virtutem et ipsam beatitudinem tribuit timori, non quod ipse timor sit omnis virtus, sapientia et beatitudo, sed quia sine illo omnia perduntur, per illum omnia conservantur. Iob. 28 : *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia.* Ecclesiastici 1° : *Plenitudo sapientiae, timor Domini.* Et cap. 19 : *Omnis sapientia, timor Domini.* De sancta Iudith volens Scriptura dicere eam fuisse ornatam omnibus virtutibus, uno verbo dixit : *Timebat Dominum valde* (Iudith, 18, 8). Et similia multa inveniuntur, quae aperte docent quantus thesaurus sit timor Domini.

3° Tertia utilitas est, quod liberat a timore humano. Vix est ullus morbus universalior in mundo et magis incurabilis, quam timor humanus. Hic nobiscum nascitur et crescit, et vix umquam perfecte extirpatur; hic est causa infinitorum malorum et impedit infinita bona. Pueri vixdum nati discunt mentiri ob metum verberum aut ignominiae; maiores natu non solum mendacia, sed etiam periuria committunt ob metum damni temporalis. Adulationes omnes parit hic timor; correptionem fraternam hic timor impedit. Denique omnes actus heroicos fortitudinis, temperantiae, iustitiae, parcere

nimicis, exponere se periculis pro Deo, amplecti seriam poenitentiam, quid impedit nisi timor humanus? Hanc igitur pestem non curat nisi timor Domini. Hic enim est serpens Mosis, qui devorat dracones magorum. Maior enim timor vincit minorem. Aliquando homines in itinere fatigati sunt et pedes habent laesos, ita ut vix audeant eos ponere super lapides, timentes ne laedantur. Sed si tunc occurrant hostes armati, aut bestia aliqua ferox, incipiunt continuo currere, ac si numquam ambulassent et sanissimi essent. Sic igitur, etc.

Scribit Gregorius, in hom. de Magdalena, tantam fuisse confusionem et verecundiam, quam illa patiebatur interius, cum peccata sua cogitaret, ut non timuerit nec erubuerit in publico convivio prosternere se ad pedes Domini, ibique largiter flere, et capillis eos pedes tergere. Scribit Ambrosius in illa verba Ps. 118 : *A verbis tuis formidavit cor meum,* sanctos martyres, cum videbant ignem accensum, gladios nudatos, bestias frementes, cruces, rotas et similia, timere coepisse, sed statim timorem Domini posuisse ante oculos mentis ipsorum ignem aeternum, gloriae amissionem, inimicitiam Dei; et eo timore compressisse alium timorem. Unde illi dicebant : Terrent quidem ista temporalia aliquantulum, sed tamen *a verbis tuis formidavit cor meum.*

4° Quarta utilitas est, quod ligat et stringit hominem cum Deo, eumque facit diligentissimum in obsequio Domini et super omnia humilem et reverentem. Nam quem timemus perdere, diligenter custodimus. Videmus in hoc mundo, cum unus ambit gratiam alterius et timet ne eam perdat, quot vias quaerit conciliandi eum sibi, ut aulici et alii. Numquam satiatur serviendo, semper cogitat quid possit facere quod placeat domino suo vel rei amatae. Sanctus Franciscus nihil fere petebat aliud a Deo, quam ut ei significaret quid facere posset, quod ei esset gratum, ut nimirum se cum Deo magis ligaret, a quo separari gravius omni gehenna esse putabat. Denique qui timet Deum et eius iudicia, summe humiliatur, et prosternit se corde et corpore, intellectu, voluntate, omnibus potentiis illi Maiestati, quia scit nihil esse quo Deus magis

offendatur quam superbia; et cum erit vel minima in corde elatio, statim comprimitur ab hoc timore. Atque adeo est proprium huic sancto timori stringere hominem cum Deo et diligentem atque humilem reddere, ut propterea etiam beati in coelo dicantur timere, et etiam tremere coram Deo; non quod timeant poenam vel culpam, cum securissimi sint, sed quia habent hos effectus timoris sancti. Unde legimus, Ps. 18 : *Timor Domini sanctus manet in saeculum saeculi.* Et Iob 26 : *Columnae coeli contremiscunt et pavent ad nutum eius.* Et in praefatione dicunt : *Per quem Maiestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates.*

III. De tertio, id est de remedio ad conservandum timorem, dicemus in sequenti exhortatione. Interim magnum remedium erit considerare et bene perpendere has tot et tantas utilitates timoris Domini, quia purgat animam a peccato, conservat purgatam, extinguit timorem mundanum, et ligat cum Deo.

DE TIMORE DOMINI

Secunda Exhortatio

1. *Beatus homo qui semper est pavidus.* Prov. 28.

Multae sunt virtutes timore nobiliores; tamen nulla est magis necessaria omni tempore et in omni actione. Quia, cum homo vivat in medio periculorum et tam facilis sit ad committenda mala et omittenda bona, timor Domini est frenum in malis et calcar in bonis. Et ideo *beatus qui semper est pavidus* (Prov. 28, 14), id est in omni loco, in omni tempore, in omni verbo, in omni cogitatione, in omni actione. Hinc etiam Isaias, cap. 11, cum de aliis donis dixerit : *Requiescat super eum spiritus sapientiae,* etc., de timore aliter dicit, nimirum : *et replebit eum spiritus timoris Domini.* Quae verba si exponantur de Christo non quantum ad caput, quod est ipse, sed quantum ad corpus eius, quod sumus nos, ut exponit Bernardus, Serm. 14 in Cantica, significabunt oportere hominem ita proficere in timore, ut tandem totus eo repleatur intus et extra, ita ut oculi, aures, lingua, manus, pedes, cor, intellectus, et omnes potentiae, et omnia membra repleantur hoc sancto timore, et possit dicere cum Iob : *Verebar omnia opera mea* (Iob. 9, 28). Iste enim beatus vir erit, et ideo beatus, quia semper pavidus. Denique Ecclesiastes concludit suam concionem : *Deum time, et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo* (Eccle. 12, 13). Nam timor Dei facit servari mandata; servare autem mandata est esse vere hominem, non bestiam. Nam homo, si rationalis sit, id est si sit homo, finem suum ultimum attendet, et media ad illud accipiet, quae sunt

mandata. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (Matth. 19, 17). Porro mandata servare facit timor. Isaias : *Divitiae salutis, sapientia et scientia. Timor Domini ipse est thesaurus eius* (Is. 31, 6). Ergo beatus qui semper est pavidus.

2. Cum igitur tam necessarius sit timor, quaerendus est modus illum acquirendi et conservandi. Modus autem unus est et efficacissimus : intelligere et serio considerare Deum esse praesentem in omni loco et in omni tempore. Ut autem hoc ostendam, proponam aliquot veritates.

3. Prima est, quod naturaliter praesentia aliorum gignit timorem et verecundiam. Ille autem timor impedit mala. *Qui male agit, odit lucem,* inquit Dominus (Io. 3, 20). Et patet experientia. Nam da unum vehementissime tentatum, et qui habeat occasionem peccandi; tamen si est in medio foro, continebit se. Unde nemo debet, cum peccat, excusare se ob vehementiam tentationis, quia, si ex verecundia humana potest illam vincere, quomodo non vinceret, si vellet, ex timore vel amore Dei? Verum quidem est quod continebit corpus, sed non cor a peccato. Sed ideo id fit, quia cor non est in publico, sicut corpus. Itaque est ingenitus hominibus pudor quidam, qui in multis rebus praevalet omnibus affectibus.

2ª Veritas est, quod Deus est semper praesens non solum operibus, sed etiam cordibus. Non possumus ab eo recedere : nam *in ipso vivimus, movemur et sumus* (Act. 17, 28). Sicut pisces non possunt ab aqua et homines ab aere separari, ita etc... Nam Deus conservat omnia, et operatur cum omnibus omnia. Non autem id faceret, nisi esset praesens, quia non operatur per instrumenta, sed per suam substantiam, cum sit summe simplex. Unde Ps. 118 : *Quo ibo a spiritu tuo?* Et alibi : *Coelum et terram ego impleo* (Ier. 23, 24). Ex his duabus veritatibus, si attente cogitentur, oritur ingens timor in omni opere, verbo et cogitatione.

3ª Veritas est, quod in Deo cessant omnes causae, quae aliquando faciunt ut homines non timeant publicum. Nam homines, etsi erubescunt naturaliter peccare coram aliis, tamen quinque de causis aliquando non erubescunt. *a)* Primo quando

sunt coram eis, qui non sentiunt, ut coram caecis et surdis; — *b)* secundo, quando coram eis qui, etsi sentiunt, tamen non cognoscunt, ut coram infantibus vel bestiis; — *c)* tertio, quando cognoscunt, sed non iudicant esse mala, ut coram sui similibus. Alioquin coram homine iusto aut praelato erubescunt, quia nolunt haberi mali; — *d)* quarto, quando coram eis qui, etsi sentiunt, cognoscunt et iudicant, tamen non ad eos attinet, et ideo non curant quid agatur. Unde timent servi coram dominis, filii coram parentibus, discipuli coram magistris, uxores coram viris, privati coram rege vel iudice; — *e)* quinto, quando coram eis qui, etsi sentiunt, cognoscunt, iudicant et ad eos pertinet, tamen non possunt impedire, ut sunt aliquando parentes valde senes, mariti valde pauperes, iudices sine satellitio, etc.

Haec omnia cessant in Deo. Nam *a)* primo Deus non est truncus aut lapis, sed totus est mens, totus est oculus, etc.; — et *b)* secundo *omnia nuda sunt et aperta oculis eius* (Hebr. 4, 13). *Omnia corda scrutatur Dominus* (I Paral. 28, 9). Nec obstat quod non videmus illum; nam non erubescimus, quia videmus, sed quia videmur, ut patet; — *c)* tertio omnia mala ei displicent, etiam minima, quia ipse est rectissimus et regula omnium rerum. Sicut regula non potest coniungi rei obliquae, ita etc... *Non volens iniquitatem tu es* (Psalm. 5, 5); — *d)* quarto ad eum pertinet, quia ipse est dominus, quia fecit; pater, quia fecit ad similitudinem et promisit haereditatem; magister, quia *illuminat omnem hominem,* etc. (Io. 1, 9); sponsus, quia per spiritum fidei et charitatis sponsavit nos sibi. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II Cor. 11, 2); denique rex et iudex, ut in symbolo legimus; — *e)* quinto Deus omnipotens est, cum sit infinitae virtutis et cum ab illo omnia pendeant, et paravit ignem inexstinguibilem.

Cogita igitur quid sit peccare coram tali oculo. Exemplum de meretrice conversa ab eremita.

4ª Veritas est, quod non solum Deus, sed etiam omnes angeli et homines beati vident quicquid facimus, seu cogitamus. Scio quibusdam doctoribus id non probari. Tamen hoc

dicit sanctus Basilius in lib. de Virginitate, ubi monet virgines ut etiam solae in cubiculo honeste se habeant, quia semper videntur ab angelis et omnibus sanctis, qui omnia in Deo vident. Idem etiam dicit Hieronymus in lib. ad Vigilantium, ubi dicit quod, sicut Agnus est ubique, ita et sancti sunt ubique, nimirum per intelligentiam, non per substantiam. Et S. Gregorius : *Quid non vident, qui videntem omnia vident?* Praeterea si in hoc mundo Helisaeus, S. Franciscus et multi alii videbant corda hominum, si S. Benedictus aliquando vidit totum mundum sub uno radio solis, ut Gregorius refert, nonne credibilius est sanctos glorificatos omnia videre? Et forte hoc voluit Paulus, cum ait : *Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus* (I Cor. 4, 9). Iam ergo, si cogitemus quod semper sumus in theatro ubi videntur nostra opera, verba et cogitationes a Deo et innumerabilibus oculis angelorum et sanctorum, quomodo poterit fieri, ut non cum summo timore agamus, loquamur, cogitemus? Quae fuit umquam meretrix, quae in foro, in meridie, in conspectu totius populi auderet male agere? Quomodo ergo cor nostrum non videt se esse impudentius omni meretrice, cum in media luce Dei et in conspectu tot millium angelorum et sanctorum ea facit, quae non faceret meretrix in conspectu decem hominum?

4. Nec solum haec consideratio praesentiae Dei et sanctorum utilis est ad timorem incutiendum, sed etiam ad effectus timoris immediate producendos. Effectus timoris filialis est fiducia et securitas quaedam. Nam qui timet Deum, non eum offendit. Haec autem conscientia gignit incredibilem fiduciam. *Si cor nostrum non reprehenderit nos,* inquit Iohannes, *fiduciam habemus,* etc. (I Io. 3, 21). Iam igitur consideratio praesentiae Dei parit securitatem in omni periculo. Nam si pueri se putant securos, quando vident patrem prope se, et principes securi dormiunt, quando sciunt vigilare in sua custodia 100 milites; quid potest timere qui est amicus Dei et certo credit prope se, immo intra se, extra se, supra se, infra se, circa se, ubique esse Deum cum tota sua omnipotentia, ad cuius nutum

omnia tremunt? Hinc sancti non timebant feras in eremo, non aquam, non ignem, non demones, non homines.

Praeterea cum videant semper ante oculos suos Deum cum tota sua clementia et divitiis, fidunt, orant et accipiunt; est item effectus timoris sollicitudo bene operandi. Hanc autem sollicitudinem mirum in modum auget haec consideratio; est enim stimulus et calcar ad omnia opera bona. Nihil enim est quod magis moveat ad res arduas libenter subeundas, quam oculus rei amatae, vel certe oculus eius cuius gratiam cupimus et a quo praemium expectamus. Scribit Iosephus de bello iudaico, in oppugnatione Hierosolymae milites ardentissime pugnasse, quia imperator ex edito loco eos aspiciebat. Scribit Cassianus . . . . . (1) multos fuisse, qui in coenobio, ubi videbantur et laudabantur a multis, sine labore ieiunabant ad nonam et ad vesperam; at in solitudine, ubi non videbantur, vix poterant ad sextam ieiunare. Sanctus Cyprianus in Exhortatione martyrii non adfert maius argumentum, quam quod martyres in conspectu Dei, et Christi, et sanctorum angelorum decertent. Immo haec videtur fuisse causa, cur primo martyri Christus apparuerit in coelo stans, ut intelligeret agonem suum videri, et eo modo accenderetur ad pugnandum viriliter. Denique quanta sit utilitas huius considerationis, docent nos exempla sanctorum. Abrahae dicitur: *Ambula coram me, et esto perfectus* (Gen. 17, 1). Helias dicebat: *Vivit Dominus, in cuius conspectu hodie sto* (III Reg. 17, 1). Et David: *Providebam Dominum in conspectu meo semper* (Ps. 15, 8). Et Paulus subditis: *Non ad oculum servientes, sed ut servi Christi* (Eph. 6, 6), id est, nolite operari bona tantum exterius, quo pertingit oculus hominis, sed etiam interius, quo pertingit oculus Christi. Denique hoc fuit frenum et calcar omnibus sanctis.

5. At quomodo acquiremus hanc ipsam considerationem? Exercitio et assuefactione; sic enim moralia acquiruntur. Sed

(1) *Spatium in codice relictum est vacuum.*

tamen occurrunt mihi aliqua instrumenta excitantia istam considerationem. 1° Unum est signum campanae, vox enim obedientiae, quae nos toto die exercet et ad singula fere opera movet, ut patet a primo illo pulsu quo excitamur, usque ad ultimum, quo mittimur cubitum. Si quis igitur assuesceret audire campanam illam ut obedientiae vocem, et vocem obedientiae non solum humanae, sed etiam divinae, facile assuesceret multis vicibus per diem videre et audire praesentem Deum. 2° Res omnes, quibus utimur et quibus carere non possumus, possunt nos mirabiliter excitare ad praesentiam Dei cognoscendam. Si quis v. g. in cibo, vestibus, libris et instrumentis omnibus cogitaret ibi esse Deum, et ipsum esse qui per eam rem nos nutrit, fovet, calefacit, docet, etc., et, cum ea in nos intrat, nobis unitur. 3° Non solum ea quibus utimur, sed etiam omnia quae videmus et quorum admiramur vel pulchritudinem, vel dignitatem, vel potentiam, possunt excitare nos ad praesentiam Dei considerandam; si advertamus omnia illa nihil esse nisi corticem divinae bonitatis, quae in illis omnibus rebus latet. Vere enim intima est omnibus rebus divina bonitas, et quaedam eius redundantia est bonitas creaturae. Inde vere colligemus, cum tanta sit suavitas huius corticis, quanta erit medulla, et stultos esse qui, relicta medulla, solam corticem quaerunt; et denique discemus nemini invidere, nihil desiderare rerum quae Deus non sunt, cum medullam earum rerum habere possimus.

DE DONO PIETATIS

Exhortatio tertia

Sequitur donum pietatis.

Significat proprie pietas eum affectum qui debetur parentibus et patriae. Et quia Deus est primus et praecipuus pater noster, inde est quod in Scripturis pietas frequentissime accipitur pro cultu Dei. Sed in eo distinguitur a religione, quod religio honorat Deum ut dominum, pietas ut patrem. Et quia proprium est filii moveri affectu compassionis erga patrem, aut matrem et alios sanguine iunctos, si in afflictione sint; inde est quod pietas accipitur etiam a scriptoribus et vulgo apud omnes pro misericordia erga quoscumque miseros. Et sic accipit S. Bernardus nomen pietatis in toto sermone 12 in Cantica, ubi tractat de unguento pietatis, ac dicit illud esse praestantius unguento poenitentiae, et unguento devotionis. Nos ergo de hac pietate dicemus, quae respicit Deum ut patrem, et omnes proximos, praesertim in eorum afflictionibus, ut patres, vel fratres, vel filios, prout sunt nobis maiores, aequales, aut minores.

Et quidem quanta sit huius doni utilitas, explicat apostolus, qui eam optime noverat et eam praeter cetera possidebat et amabat, cum ait : *Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia,* 1 Tim. 6. Et quomodo sit hoc verum, explicat etiam in eadem epistola, ubi ait 1 Tim. 4 : *Exerce te ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum valet; pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vitae quae nunc est [et] futurae.* Ubi notandum est per corporalem exercitationem

non intelligi poenitentias corporales, ieiunia, cilicia, etc. Nam, ut bene ait Chrysostomus in hunc locum, ista si fiant, ut oportet, non sunt corporalia sed spiritualia; nam spiritum iuvant, non corpus, et iuvant pro alia vita, non pro ista. Immo isti vitae praesenti potius nocent. Si autem fiant sine spiritu, non prosunt nec in hac vita, nec in alia. Loquitur ergo apostolus de exercitatione corporali, quo corpus exercetur ut fiat robustum, expeditum, pulchrum, etc., quomodo se exercebant olim athletae. Inde enim sumit apostolus metaphoram, ut patet ex verbo graeco *γύμναζε σεαυτόν* (1) . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

tatum, aegrotum, etc. ad eum certatim accurrerent et omnes cuperent primi esse, qui eum sublevarent. Nam *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Math. 5, 7), et *Iudicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam* (Iac. 2, 13).

Est autem haec pietas non solum lucrosissima, sed etiam nobilis; nam est propria Dei. Deus enim agit contrario modo ac homines mundi. Isti enim libenter benefaciunt divitibus. Sicut flumina omnia currunt ad mare, licet mare non egeat aquis, et multa loca terrae arida relinquunt, quae, si vel rivulum haberent, multum fructificarent; ita homines mundi libenter donant divitibus, sed pauperibus vix aliquid dare possunt; idque faciunt, quia a divitibus exspectant retributionem, et sic revera amant se, non illos. At Deus, qui nullius eget et qui nihil ab ullo exspectat, omnibus dat, sed maxime se inclinat miseris. *Misericordia eius super omnia opera eius* (Psalm. 144, 9). Et hunc spiritum dat filiis suis, ut in hoc cognoscantur veri filii eius, si puro amore afficiantur, illis maxime qui non possunt retribuere. Ita videmus sanctos; quo

(1) *Quae sequuntur, quamvis ad idem argumentum spectent, nempe ad pietatem erga proximum, superiori tamen textui non cohaerent. De quo hiatu videsis praefatiunculam nostram.*

maiores fuerunt, eo magis abundabant hoc unguento pietatis. Vide Christum; ut plurimum cum peccatoribus agebat, cum turbis, cum aegrotis.

Abraham patriarcharum summus et Dei singularissimus amicus in hac virtute excelluit. Cum videret peregrinos in via fessos, orabat ut ad se intrarent. Ipse currebat ad gregem, vitulum optimum occidebat, etc. Sic etiam Moses sanctissimus prophetarum ita abundabat visceribus pietatis, ut vellet deleri de libro vitae pro salute populi, a quo saepius convicia, murmurationes et fere lapides passus fuerat. David, cum videret populum caedi ab angelo, clamabat : *Ego sum, qui peccavi. Vertatur, obsecro, gladius tuus contra me* (II Reg. 24, 17). Paulus pro inimicissimis suis Iudaeis optabat anathema esse a Christo; christianos vero omnes tenerius diligebat, quam ulla mater infantem suum. S. Franciscus usque ad animalia bruta extendebat pietatem suam; sed praecipue erga aegrotos afficiebatur, ut etiam Pater noster Ignatius; nam in hoc simillimi fuerunt. Uterque eorum cupiebat suos aegrotos patientes (1) et quietos, et quod intelligerent etiam in aegritudine se pauperum religiosorum more vivere debere; et interim tamen incredibili diligentia curabant ut nihil eis deesset. Immo ipse sanctus Franciscus non erubescebat in persona propria ire mendicatum carnes et alia pro suis aegrotis, et recreationes eis procurare, quas pro se numquam accepisset. Ut magis se accenderet in hoc officio pietatis, considerabat in singulis afflictis Christum, pro quo eos amabat, et cuius membra illi erant. Et eo modo non poterat afflictum videre, quin totus liquefieret; nec poterat se continere, quin statim curreret ad eum iuvandum. Et certe nullum est maius signum verae charitatis, quam ita affici erga miseros. Nam affici erga sanos et bonos qui habent in se multa quae alliciunt, facile est et saepe videtur charitas, et est amor naturalis. At affici erga miserum, aegrotum, foedum, etc., non potest fieri ex obiecto

(1) *In margine notatum est* : Vide lib. 2 cap. 30 Chronicorum S. Francisci.

illo, sed ex interno amore a Deo infuso. Sicut enim mater afficitur erga filium turpem, aegrotum, foedum, non quia ille est amabilis, sed quia ipsa est mater et habet in se viscera pietatis maternae. Hoc autem quod dat matri natura ipsa maternalis, hoc dat nobis, qui parentes non sumus, spiritus pietatis, et ideo orandus Spiritus sanctus, ut ipse ad nos veniat et ista viscera nobis tribuat.

Videamus nunc quomodo etiam in hac vita prosit nobis ista pietas erga proximum. Id vero certissimum. Nam nihil optabilius in hoc mundo, praesertim in congregatione, quam pax et unio. Haec autem non conservantur meliore glutino, quam pietate, qua invicem supportamus nostros defectus. Hoc Paulus docet. Nam cum admonuisset Ephesios ut omni diligentia conservarent vinculum charitatis, addit explicans modum conservandi : *supportantes invicem in charitate* (Eph. 4, 2). Nemo est qui non habeat defectus et aliquid molestum aliis, sive sit superior, sive inferior, sive senex, sive iuvenis, sive doctus, sive indoctus. Et quatenus quisque defectus habet, eatenus cadit super alium cui est molestus. Quod si iste subtrahat se et nolit ferre aequo animo, et si rursum iste nolit ferre alium, fit divisio, et consequenter ruina. Sicut si duo ligna inclinata sibi occurrant, si unum alterum sustineat, utrumque stat; si vero nolint se invicem sustinere, utrumque cadit.

Et quia res ista est summi momenti, cogita defectus eorum, cum quibus versaris, esse medicinam quandam et crucem tibi a Deo datam. Multi sunt qui libenter faciunt poenitentias, quas ipsi sibi sumunt, et tamen defectum socii sui, quae est poenitentia a Deo iniuncta, ferre non possunt. Et tamen in rebus corporalibus non sumus ita stulti, ut malimus pharmacum quod ipsi cogitavimus, quam illud quod medicus praescribit, quia scimus nos facile posse errare vel in ipsa re, vel in mensura quae nobis convenit.

Cogita deinde te habere etiam defectus, quos alii supportare debent misericorditer, et ideo iustum esse ut tu feras aliorum; denique cogita hoc esse magnum signum habeas

necne Spiritum sanctum. Nam Spiritus sanctus est ignis qui coquit et indurat lutum nostrum. Lateres recentes mollissimi sunt, at cocti in fornace durissimi fiunt, ut vix malleis frangantur; ita homines sine igne Spiritus sancti teneri sunt et molles, vel uno verbulo audito franguntur; at qui receperunt Spiritum sanctum, durissimi fiunt, ut nec ad verbera frangi possint. Et sicut stomachus frigidus non potest digerere carnes, etiam teneras; at stomachus bene calidus digerit etiam caepas; ita etc... Ita videmus apostolos. Ante Pentecosten manebant clausis foribus, cum tamen nemo illos persequeretur; at post adventum Spiritus sancti, ne ora quidem claudere dignabantur, etiamsi pharisaei et pontifices eos flagellis caederent.

Dixi de pietate erga proximum, quomodo sit utilis in hac vita et in futura. Dicamus nunc de pietate erga Deum. Ac primum quod sit quaestuosissimum pro alia vita, certum est, quia nec pietas erga proximum lucraretur aliquid apud Deum, nisi procederet a pietate erga Deum. Itaque pietas erga Deum, id est charitas illa filialis, quae est praecipuum donum Spiritus sancti, est sicut lapis alchimiae, qui omnia convertit in aurum. Nam omnia opera quae tanguntur hoc affectu, sunt meritoria vitae aeternae. Et hinc est quod saepe multi plus laborant, et minus lucrantur. Confer doctores religiosos et mundanos, opifices religiosos et mundanos, denique aulicos principum et Dei. Itaque summopere quaerendus est spiritus internus, amor filialis et purus. Nam ab illo omnia procedunt.

Quod autem in hac vita prosit haec pietas, facile probari potest. Nam imprimis dat id quod homines mundi maxime quaerunt, id est immortalitatem nominis etiam in hoc mundo. Quid quaerebant antiqui illi tot statuis, tot arcubus, tot libris, nisi hanc perpetuam famam et nomen post mortem? Cur tot labores sumebant in bellis, in exstruendis urbibus, in scribendis libris etc.? Et tamen paucissimi eorum obtinuerunt hoc nomen. Nam statuae, libri, arcus fere omnes perierunt. Et illi ipsi qui nominantur, quam paucis noti sunt! Certe vix millesima pars hominum eos novit. Et illi qui eos norunt, qua

veneratione eorum recordantur? Nulla omnino. Nam sciunt eos in inferno esse Deo et omnibus sanctis odibiles. At SS. Antonius, Franciscus, Benedictus (ut interim omittam apostolos et martyres et doctores) nec statuas fecerunt, neque arcus, neque libros, sed semper dederunt operam pietati Dei, ut eum agnoscerent, amarent, honorarent, et se totos illi sacrificarent. Et tamen isti noti sunt omnibus, etiam pueris, feminis, rusticis. Ubique extant eorum memoriae, et quando eorum recordamur, semper id facimus cum veneratione, cum laude, etc.

Et tamen haec est minima particula lucri pietatis, quam sancti nec petierunt, nec de illa cogitarunt. Verum enim lucrum in hoc mundo est regnum Dei, id est pax et gaudium in Spiritu sancto. Hoc secum adfert vera pietas Dei. Si possemus videre corda impiorum, quamvis regum et imperatorum, et contra corda piorum, quamvis pauperrimorum, videremus illa, ut naves in medio mari continuo agitatas contrariis ventis, videremus quasdam nunc ascendere, a fluctu delatas, usque ad coelum, et continuo descendere usque ad abyssum, nec ullam esse quae diu in summo stare possit; videremus alias plenis velis currere, sed statim allidi ad scopulos; alias aspirante vento prospero vela facere, continuo aspirante contrario demittere vela; denique plurimas ludibrium esse contrariorum ventorum. Sic enim regnant in eiusmodi cordibus timores, spes, suspiciones, amores, odia, indignationes, etc. At corda piorum videremus ut homines ambulantes in littore securos, quietos et certos perveniendi ad optatum locum, quia pedes posuerunt non super mare inquietum, sed super firmam petram. Adhaeserunt enim bonis aeternis, quae nec per se intereunt, nec auferri a quoque possunt. Et licet premantur inopia, morbo, persecutionibus, tamen (1).....

(1) *Sic desinit haec exhortatio imperfecta. Subsequitur autem integrum folium vacuum, quasi ad excipienda alia, quae scripta non sunt.*

DE DONO CONSILII

Exhortatio sexta

(1586)

Donum consilii est lumen quoddam, quo discernimus iter, per quod incedere debemus, et praecipitia, impedimenta, insidias inimici, quae in illa occurrunt. Est etiam veluti sal, quo condiuntur omnia opera; nam docet circumstancias omnes, id est quando, ubi, quomodo, quidque fieri debeat, sine quorum observatione omnia opera, etiam alioquin optima, insipida sunt et nauseam provocant. Denique est in hoc mari huius vitae instar chartae navigantium, quae indicat ubi lateant scopuli, ubi sint brevia, ubi sint vertices, etc. Quare sanctus Antonius, ut refert Cassianus in 2ª collatione abbatis Mosis, cum inter seniores quaereretur, quae sit virtus maxime necessaria ut quis secure perveniat ad optatum portum salutis, et alii alia dicerent, dum unus ieiunia, alius vigilias, alius hospitalitatem, alius orationem commendaret, affirmavit nullam esse magis necessariam quam discretionem seu prudentiam spiritualem, quia sine hac omnia alia nihil prosunt.

Prudentia seu discretio hominis religiosi ad duo praecepta reduci potest. Unum, ut sinat se regi et duci ab obedientia maiorum; et in hoc consistit potissima pars prudentiae religiosae. Et si quidem possemus in omni tempore et loco, et in omni actione particulari habere ante oculos talem ducem, non esset opus ullo alio praecepto prudentiae. Sicut in itinere quando habemus nobiscum peritum ducem, non est opus ut solliciti simus de via. At quando dux non venit nobiscum,

sed tamen docet ut eamus per talem et talem viam, tunc oportet ut ipsi vigilemus et solliciti simus ne erremus. Sic etiam in via perfectionis obedientia mittit nos per varias vias : unum iubet concionari, alium docere, etc. Et dat quidem instructionem singulis, sed non potest dirigere singulas cogitationes, verba, opera particularia. Ideo opus est alio praecepto prudentiae, quod potest uno verbo dici : *Stare sopra di se,* sive *Attende tibi,* de quo insignem orationem scripsit S. Basilius.

Ac, ut a primo incipiam, dico illum vere esse prudentem et habere donum consilii, qui est bene persuasus optimum esse religioso sinere se regi et acquiescere in eo statu, in quo positus est ab obedientia, et existimare illum sibi esse utilissimum. Id imprimis ostendit evidens ratio. Nam vocavit nos Deus ad religionem; ergo non bene eramus in saeculo. Et licet multi in saeculo salventur et aliquando sint perfectiores religiosis, ut ille rusticus, de quo legimus apud Cassianum, coll. 14, c. 7, tamen mihi utilior est religio, nisi forte Deus, quod est impium cogitare, deceptus est et non bene novit vel me, vel religionem, vel saeculum. Quod autem ipse me vocaverit, si sincero animo intravi, certum est, quia tale desiderium non potest esse a daemone, nec ab homine, sed a solo Deo. Rursus vocavit me ad hanc religionem, ergo haec mihi utilissima est. Et licet in aliis multi sint viri sancti et multa opera bona fiant, tamen illae mihi non erant utiles, ut ista, quia Deus, qui me vocavit, novit omnes religiones, nam ipse omnes instituit, et novit etiam me, quia ipse me fecit. Quando veniunt pueri ad scholas nostras, mittuntur ab examinatore ad diversas classes, prout illis expedire iudicat; et si is qui mittitur ad primam grammaticae, vellet ire ad rhetoricam, quia illa est altior, vel ad 4^am^ grammaticae, quia ibi minus laboratur, merito argueretur, quia illae non conveniunt eis; certe melius novit nos omnes Deus, quam ullus examinator discipulos. Denique vocavit Deus nos in hac religione ad obediendum, non ad imperandum. Ergo nobis utilissimum est obedire, et ars nostra ac professio esse debet bene obediendi. Et sicut tentatio diabolica esset velle ire ad saeculum aut ad aliam

religionem sub quocumque praetextu, quia, ut dixi, Deus qui me optime novit, ad hanc me religionem vocavit, ita tentatio est velle aliter vivere et aliud agere, quam obedientia velit, quia Deus, qui me optime novit, ad obediendum vocavit. Et sicut imprudentiae merito argueretur, qui artem aliquam profiteretur, et tamen curiose inspiceret aliorum artificum opera; et ut illa inspiceret, sua desereret aut minus bene conficeret; sic imprudens est qui, cum profiteatur obedientiam, curiose attendit ad ea quae sibi non sunt imperata, et propterea negligit sua. Et sicut qui in itinere haberet peritum ducem, stultus esset, si vellet illum praecedere et viam per se inquirere, etc....; ita etc..... Denique, etiam extra leges obedientiae, prudentia est in rebus dubiis accommodare se aliis et facere quod alii volunt, non quod ipsi volumus. Hinc enim multa bona oriuntur; nam et mortificamus nos ipsos, et humiliamus, et pacem conservamus, quae multo plus valent, quam delectatio faciendi propriam voluntatem. Unde S. Franciscus semper promittebat socio obedientiam; quod si prudentia est obedire non superiori, quanto magis superiori, a me et a Deo mihi dato.

Deinde hoc idem ostenditur ex malis quae eveniunt eo quod religiosus non acquiescit in eo in quo positus est, et vel desiderat, vel etiam procurat mutare exercitium, vel etiam reipsa exercet se in aliis ex proprio iudicio. Nam, ut plurimum, isti decipiuntur et illuduntur a daemone, et cum putant se facturos maiora opera et lucra, inveniunt se iacturam fecisse. Narrat abbas Abraham, collatione 24, cap. 13, pulcherrimam sancti Macharii similitudinem. Erat, inquit, tonsor quidam, qui domi suae, in sua civitate, quiete et commode vivebat. Nam accipiebat a singulis quos tondebat tres denarios. Ex qua mercede victum comparabat et quotidie reponebat in marsupio centum denarios. Is audivit in alia civitate longe posita tonsores pro singulis capitibus 10 denarios..... Itaque excitatus, « Quamdiu, inquit, feram hanc mendicitatem? » Surrexit, et abiit ad illam aliam civitatem, et in itinere expendit omnia quae antea lucratus fuerat. Cum pervenisset, erexit officinam,

coepit tondere homines, et vere lucrabatur 10 denarios pro singulis capitibus. Unde vehementer laetabatur. Sed cum voluisset cibum emere, invenit omnia carissimo pretio vendi; nec potuit sufficientem victum comparare, nisi omnia insumeret, quae tondendo lucratus fuerat. Tunc agnovit stultitiam suam, et lucrum istud magnum fuisse, sed imaginarium, ex quo nihil superesset; illud autem primum fuisse parvum, sed verum. Sic etiam multi saepe cupiunt mutare officium, putant magnum lucrum esse in officiis aliorum, praesertim illustrioribus, et non cogitant distractiones, anxietates, pericula, quae in illo officio altiore reperiuntur. Sanctus Gregorius, lib. 25 Moral., cap. 22, considerat structuram tabernaculi, quod Deo iubente fecit Moses. Nam interiora velavit bysso, cocco, hiacinto; exteriora pellibus caprinis et ciliciis. Videri potuisset alicui contrarium debere fieri, nam pretiosiora altiorem et magis conspicuum locum merebantur. At sapientissime sic fecit Moses; nam locus ille altior expositus erat ventis, pluviis, pulveribus, ad quos tolerandos non sufficiebat byssus et coccus. Ita ergo multae sunt animae pretiosae coram Deo et similes bysso, sed tenerae, ita ut non possint conservare devotionem suam et puritatem, si ponantur in alto loco et exponantur tumultibus huius mundi. Illas ergo latere voluit in loco humiliori sub tutela pellium et saccorum. Et hinc non debent qui sunt in inferiori loco invidere iis qui sunt in loco altiore, sed eis compati et grati esse, quia per illos custodiuntur. Et contra qui sunt in loco altiore, non debent superbire, sed cogitare se inservire pretiosioribus rebus.

Dices : id aliquando contigit, ut male cederet iis, qui non acquiescunt in suo statu, sed non semper. Immo semper male cedit. Nam causa huius desiderii, ut idem ille abbas Abraham docet, est superbia et ignorantia sui ipsius. Quomodo autem potest ex superbia et ignorantia aliquid boni prodire? Superbiam autem esse causam patet. Nam qui vere est humilis et seipsum novit, non se reputat idoneum ad ullum officium; sed tamen facit alacriter quod ei iniungitur, quia cogitat Dominum, qui eo vult uti, scire etiam per instrumenta ineptis-

sima facere quicquid voluerit. Qui enim luto et sputo illuminavit caecos et qui per piscatores convertit philosophos et oratores, certe poterit etiam per me facere quicquid voluerit. At si non iniungatur, non ingerit se, quia non se reputat idoneum. Qui ergo se ingerit et non vocatus aspirat ad aliquod officium, ille plane superbus est. Praeterea etiamsi superbia non esset, tamen est hypocrisis, quia est redire ad saeculum sub praetextu boni operis. Nam qui suo iudicio eligit quid facere debeat et id procurat sibi ab obedientia concedi, in quo differt a saecularі? Et nonne magna stultitia esset, exire ex mari periculoso et agere gratias Deo quod eum liberaverit ex eo loco, et tamen sponte sua per aliam viam reverti ad mare?

Sed aliquis forte non ex superbia nec ex hypocrisi, sed ex quadam simplicitate optat ascendere ad altiora studia vel exercitia, quia videt se habere habilitatem ad maiora, etc. Huic etiam simpliciter respondeo : vel quaerit ascendere ut sit maior coram hominibus, et haec vanitas est mundanorum; vel ut sit maior coram Deo, maior in religione, et tunc scire debet, quod ille est maior coram Deo, qui est melior religiosus, magis obediens, humilis, etc...

Aliud magnum malum est in hac re et signum magnae stultitiae, quia cum posset aliquis secure, quiete et facile multum progredi et multum lucrari, ipse eligit cum periculo et magno labore parum progredi et parum lucrari. Si quis iter facturus posset equo vel navigio ferri et mallet ire pedibus et sine navibus traicere flumina, et praeterea sarcinam suam vellet ipse ferre, cum posset dare alteri ferendam, nonne stultissimus esset? Id accidit prorsus religiosis. Nam qui sinunt se regi, illi feruntur in navi obedientiae et sarcinam suam, id est curam sui ipsius, in illa navi ponunt, et sic sine sollicitudine multum progrediuntur et secure, quia non ipsi, sed superior reddet Deo rationem pro illis. At qui suo iudicio regi volunt, illi ambulant pedibus suis, et onus suum ipsi portant. Et illo onere gravati non possunt nisi lentissime progredi, et cum magna maestitia. Quaenam est causa, cur

tam parum tot annis promoveamus? Quia gravamur sarcina nostri ipsorum. At si sciremus vere proicere curam nostri in navim obedientiae, leves (1) et expediti toti ferremur in Deum. Deinde non solum parum progrediuntur, sed etiam magis laborant quam alii. Nam ordinarie quae quis suo iudicio arripit, illa diligentius facit, et in illis plus temporis et operae ponit. Et ut videamus hanc esse tentationem diaboli, scribit Cassianus, collat. 9 cap. 6, de quodam monacho curioso, qui in rebus non iniunctis plurimum laborabat. Cum transisset illac sanctus quidam senior, vidit illum infelicem occupatum in quodam saxo frangendo, et simul vidit diabolum in forma aethiopis, qui illum instigabat et requiescere non sinebat. Nam cum ille monachus iam fessus sudaret et deponeret malleum, ille aethiops tantum agebat instigando, donec illum cogebat iterum arripere malleum et pergere. Itaque sicut diabolus impedit opera obedientiae et suadet difficilia esse, ita e contrario incitat ad alia. Sed reapse multo minus laborat, qui facit quod iniungitur, quam qui suo iudicio; quia non est superior tam indiscretus, ut supra vires oneret, sicut facit daemon.

Praeterea non solum parum progreditur et magno labore, qui suo iudicio nititur, sed etiam cum anxietate, maestitia, turbatione. Nam vel succedunt quae cupit, vel non succedunt. Si succedunt, mala conscientia illum torquet; si non succedunt, quod est frequentius, quia velit nolit cogitur saepe desistere ab eo quod cupit, et hinc turbatio, moeror, murmuratio, suspiciones, imo omnis fere tentatio hinc oritur. Quanto igitur sapientius faciunt, qui, dimissa cura sui ipsius aliis, quieto et tranquillo animo navigant.

Denique quanta felicitas esset in die mortis et iudicii liberum esse a reddenda ratione! At haec est felicitas vere obedientis, ut scribit in dialogis suis S. Catharina Senensis. Contra, inobediens debet de se rationem reddere. Et si in aliis religionibus id est grave et periculosum, maxime in nostra,

(1) *Cod.* leve.

ubi praecipua professio fit obedientiae, quum nec silentium, nec clausuram, nec asperitatem vestium, nec ieiunia, nec vigilias, nec alios labores habeamus, ut multae aliae religiones.

3^um^ malum est quod qui suo iudicio vult regi et non acquiescit manere in eo in quo ponitur ab obedientia, is totam religionem turbat et, quantum in se est, destruit. Religio enim est unum corpus, unum aedificium, unus exercitus, una harmonia fidium, unum horologium. Si in corpore unum membrum nolit fungi munere suo, sed usurpat munus alterius, ut si pes dicat : « Numquid ego semper debeo calcare lutum? Volo ego etiam parumper manere in capite », etc.; non solum ipse nihil boni faceret, sed etiam totum corpus impediretur. Idem dico de aedificio, de exercitu etc. Quicumque autem membra sunt huiusmodi corporis, vel exercitus, vel aedificii etc., pluris debent facere bonum commune quam suum, si vere quaerunt gloriam Dei.

Oremus Deum, ut ipse aperiat oculos mentis nostrae; et qui nos vocavit ad hunc statum, det etiam intelligere quam sit nobis bonum et utile in eo acquiescere.

DE DONO CONSILII

Exhortatio septima

Diximus de prudentia religiosi, quae consistit in obedientia. Nunc dicemus de prudentia eiusdem, quatenus ipse etiam se ipsum regere, et cooperari debet obedientiae.

Salomon describit prudentem cum tribus proprietatibus. Dicit enim sapientem habere oculos in capite, os in corde et cor in dextera : *Sapientis oculi in capite eius.* Ecclesiastae 14°. *In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.* Ecclesiastici 21. *Cor sapientis in dextera eius, cor stulti in sinistra illius.* Ecclesiastae 10. Ad haec possunt reduci omnia quae ad hanc prudentiam pertinent.

1. Primo igitur ille est sapiens, qui habet oculos in capite. Ille habet oculos in capite, qui totum seipsum respicit. Quomodo qui est in summitate turris, totam urbem videt, et non potest ullus intrare vel exire, quin ipse videat; at qui est in porta turris, non videt nisi res vicinas. Hoc est quod dicimus, stare supra seipsum. Sed quia oculi humani duos defectus habent, unum quod non vident nisi partem anteriorem, licet sint in summo loco corporis, alterum quod non vident nisi in luce, nec possunt ipsi tenebras dissipare, ideo Dominus, ut ait S. Antonius apud Cassianum, collatione 2ª, comparat prudentiam lucernae. *Lucerna corporis tui est oculus tuus* (Matth. 6, 22). Lucerna enim in candelabro posita undique illuminat et tenebras dissipat. Itaque oculus mentis est similis oculo corporis, quia videt, et est similis lucernae, quia undique respicit, et etiam tenebras insidiarum discooperit. Haec igitur est prima conditio sapientis, quae quidem utilissima est. Nam

multa sunt peccata, quae evitari possent facillime, si homo haberet oculos in capite. Multa enim peccata fiunt ex sola inconsideratione, praesertim ab hominibus qui dant operam perfectioni et qui nec ignorantia laborant, nec habent malos habitus, nec demum ex malitia, concupiscentia, vel ignorantia peccant, nisi ista inconsiderantia dicatur ignorantia.

Videmus primum peccatum tam angeli quam hominis hinc esse natum. Nam angelus non habuit ignorantiam, non concupiscentiam, nec malitiam praecedentem, cum esset plenus gratia et lumine. Unde igitur peccatum intravit ad illum? Ex sola inconsideratione. Sic etiam peccatum hominum per mulierem coepit. *Mulier autem seducta in praevaricatione fuit,* inquit Paulus (I Tim. 2, 14). Itaque mulier per imprudentiam peccavit; nam hoc est, seduci. Plurima exempla refert Cassianus in collatione 2ª abbatis Mosis, religiosorum etiam perfectissimorum, qui tandem perierunt ob solum defectum huius luminis.

Potest autem duobus modis peccari ex isto capite inconsiderationis : primo, quia homo absolute non considerat quid agat. Aliquando videmus quosdam gestus quosdam corporis facere, sive comedendo, sive ambulando, sive loquendo, qui ab iis qui eos vident notantur ut deformes; et certum est quod si ipsi haberent ante se speculum, in quo se ipsos viderent, dum ita comedunt, ambulant etc., erubescerent et emendarent. Sed si saperent, loco speculi deberet esse consideratio et inspectio sui et reflexio assidua super opera sua. Idem dici potest de neglectu regularum, ut de discursibus circa regimen superiorum, de discursu per collegium, etc. Nec enim ista fiunt ex ignorantia, vel malitia, vel infirmitate, sed ex sola inconsiderantia. Sic etiam in officio dicendo, si quis cogitaret cum quo loquatur, vix posset fieri ut indevote diceret. Theophylactus in 11. cap. prioris ad Corinthios recte monet, quod si in missa consideraremus quis sit ille qui in altare in conspectu nostro iacet, hoc solum sufficeret nos devotos efficere.

2° peccatur, quando quis considerat quidem quod agit vel

quod ei offertur, sed superficialiter, et non totam rem comprehendit, nec ponderat, ut cum quis in umbra rem videt, vel ex loco inferiori remoto. Saepe enim quod ex loco inferiori videtur magnum, ex loco alto videretur parvum; et quod in umbra videtur pulchrum, si adhibeas lucernam, apparebit turpe, et quod longe conspectum videtur pretiosum, prope videbitur vile. Hoc modo peccavit primus angelus. Nam coepit aspicere suam pulchritudinem, quae vere magna erat; sed aspexit illam ex loco inferiori, et quasi in umbra. Nam si ascendisset supra se et illam considerasset undique, adhibito etiam lumine intellectus, quo illam perfecte vidisset, cogitasset illam nihil esse, nisi imaginem Creatoris, et ex nihilo factam, et ex se nihil esse, et totum quod erat esse ex dono Creatoris, et sic non in eam haesisset, sed per eam ad Creatorem ascendisset. Sed quia omisit ista considerare et in ea sola pulchritudine conquievit, captus est amore sui ipsius, et inde tenebrari coepit et contemnere Creatorem, quasi sibi ipse sufficeret, etc. Sic etiam Eva, si quod ei diabolus proponebat non statim admisisset, sed contulisset cum suo superiore, id est Adamo, et expendisset coram Deo, certe non peccasset. Sic multa nobis videntur gravia, cum imponuntur, quae levia viderentur, si ex loco alto et in lumine ea considéraremus. Nam quid grave potest accidere homini, qui se totum Deo dedit, et cui mori pro Christo nihil est, nisi lucrum? Sic multa videntur bona vel minus mala, quia in umbra cogitantur. Unde P. Ignatius iubet, ut semper, antequam aliquid petamus a superiore, vel ipsi aggrediamur, conferamus nos ad orandum, et eam rem coram Deo consideremus : id enim est ex loco alto et adhibito lumine eam considerare. Et sane Deus, cum nos iudicabit, non ita superficialiter considerabit opera nostra, sed scrutabitur Hierusalem in lucernis et minutam rationem exiget. Quare si nolumus tunc confundi, oportet ut praeveniamus examen Dei, et nos ipsi prudenter examinemus opera nostra, etc.

2ª. Secunda proprietas prudentis est, quod habet linguam sive os in corde, cum contra fatuus habeat cor in ore. Quod

vere sit prudens, qui habet os in corde, id est qui prius cogitat an debeat loqui et quid debeat loqui, patet 1° quia minimo labore evitat plurima damna. Unde est quod silentium extra tempus recreationis tam saepe commendatum et inculcatum et regulis et voce superiorum, tamen non servatur? Ex sola inconsideratione, et quia non habemus os in corde. Neque enim id provenit ex ignorantia, ut patet; neque ex infirmitate, quia non est res difficilis tacere; neque ex malitia vel inobedientia, nam videmus etiam eos in hoc deficere, qui alioquin prompti sunt ad omnem obedientiam, nec est dubium quin, si, cum incipiunt loqui, veniret in mentem prohibitio, non loquerentur. Sola ergo causa est, quod non habemus os in corde. Eodem modo plurima vaniloquia, detractiones, etc. ex eadem causa nascuntur. Sed non solum plurima damna, sed etiam gravissima interdum evitarentur minimo labore, si quis haberet os in corde. Nam aliquando ex uno verbo inconsiderate prolato oriuntur rixae, inde odia, et aliquando etiam mortes multorum. Unde pulchre et vere S. Iacobus comparat verbum inconsiderate prolatum scintillae ignis, quae integram silvam consumit. Vide exemplum sanctae Monicae lib. 9 Confess., cap. 9. Habemus nos exemplum domesticum in vita P. N. Ignatii, qui singularissime profecerat in hac virtute : inde tardissime loquebatur et verba omnia ponderabat et abhorrebat a superlativis; et aliquando confessus est se vix unquam dixisse, cuius postea eum poeniteret.

3ª Proprietas prudentis est, ut habeat cor in dextera parte, cum contra fatui habeant in sinistra. Per dexteram intelliguntur bona aeterna, stabilia, divina. Et sicut in transitu fluviorum sapientes sunt qui oculos figunt in ripa, quae ultra fluvium est, et stulti sunt qui figunt in aquam labentem; — nam ex intuitu aquae labentis oritur turbatio et vertigo capitis, et saepe etiam casus et demersio in aquas; — ita qui in transitu huius vitae figunt cor in caelo et in rebus illis stabilibus, securi transeunt, nec turbantur ob instabilitatem rerum praesentium. *Ibi sit cor,* inquit Augustinus, *et hic erit pax.* At qui respiciunt in aquam et cuicumque rei transitoriae afficiuntur,

fieri non potest quin turbentur. Si quis examinaret omnes qui vel in religione inquiete vivunt, vel non perseverant, inveniret omnes omnino, nullo excepto, oculos habuisse et cor ad fluvium, id est ad aliquid transitorium, etiamsi aliquando sub specie boni. Difficile est omnino cor abstrahere a mundo. Semper enim conatur mundus vel uno vel alio modo retinere aliquam domunculam in corde nostro; et nescio quo modo post omnia vota et post omnem abrenuntiationem saeculo factam, adhuc homo quasi timet totum se proicere in Deum, ac intra se dicit : « Si dimitto istam commoditatem, si illam recreationem, si illud exercitium, forte non bene mihi succedet ». At si re vera sciremus semel abrumpere omnia vincula, quae nos retinent in parte sinistra, et totum plane cor proicere in dexteram, o quanta pax, securitas, tranquillitas sequeretur! Recte Augustinus : *Ibi sit cor, et hic erit pax.* Et alibi : *Proice te in eum, non se subtrahet ut cadas.* Et P. Ignatius : « *Quanto quis arctius se ligaverit cum Deo,* nimirum dimissa sollicitudine omnium temporalium rerum et sui ipsius, et vere indifferens factus ad quicquid ille voluerit, *tanto magis experietur illum in se magis liberalem* ».

Rursus ille habet cor in dextera, qui semper respicit maius bonum in Dei obsequio, et illud prius et diligentius facit. Videmus aulicos, quando ministrant in mensa familiaribus domini sui, diligenter attendere, sed longe diligentius quando ipsi domino suo ministrant. Et tamen nobis aliquando contrarium accidit. Nam etsi omnia facimus propter Deum, tamen saepe attentius servimus Deo in proximis, quam in seipso. Quando docemus, concionamur, officia domestica facimus, tunc ministramus in mensa familiaribus Dei. At quando oramus et laudes Deo persolvimus, tunc ipsi Domino in mensa ministramus. Et tamen quam saepe accidit, ut negligentius ista quam illa faciamus. Similiter maius bonum est bonum commune totius religionis, quam particularis profectus in literis huius vel alterius; et ideo qui habet cor in dextera, libenter facit quod ei iniungitur propter bonum totius corporis religionis, etiamsi alioquin ipsi utilius fortasse esset per-

gere ad studia altiora. Exemplum de rebus, quae contra suam naturam adveniunt ad replendum urceum.

Sed hic erit una dubitatio. Nam qui habent cor in dextera, videntur debere esse semper hilares, quia in dextera sunt bona maxima et stabilia; et tamen sapiens dicit : *Cor sapientis, ubi tristitia; cor stulti, ubi laetitia* (Eccle. 7, 5). Sed facile solvitur ista dubitatio. Nam etiamsi qui habet cor in dextera, non patitur dolorem ex amissione rerum temporalium, tamen habet aliam tristitiam altiorem et utiliorem. Nam quo magis quis figit cor in caelo, eo magis intelligit quantum sit bonum uniri cum Deo, implere eius voluntatem et tandem pervenire ad indissolubilem coniunctionem, quae erit in gloria; inde saepe cogitat quantum adhuc itineris supersit, et quale iter sit, quod eo perducit. Hic vero videt rem quandam horribilem, et quae illum cogit expavescere, et summa cum sollicitudine et timore pedem figere, iuxta illud Apostoli : *Videte quam caute ambuletis* et *Cum timore et tremore salutem vestram operamini* (Ephes. 5, 15). Nam si recte consideremus viam quae ducit ad Deum, inveniemus eam habere istas condiciones : 1° est angusta, ut ipse Dominus dixit, et pauci in ea perseverant. Via enim (1) est lex Dei, sunt regulae, sunt virtutes, quae omnia in indivisibili quadam rectitudine consistunt. Unde cum quis aliquantulum detorquet iter ad unam vel alteram partem, cadit. Unde si quis haberet oculos apertos, videret non minori cautela nobis vivendum, quam ambulent homines per angustissimum pontem. 2° Est via elevata et ardua, nam semper ascendit. Nam est via contraria carni et sanguini, quae trahunt deorsum; et quo magis quis progreditur, eo casus est horribilior et periculosior. 3° Est exposita ventis, et quo quis magis progreditur, eo maiores ventos experitur. Daemones enim obsident istam viam, ut sanctus Antonius aliquando vidit, et totis viribus conantur deturbare homines, et plurimos deturbant. 4° Est plena laqueis; nam omnes creaturae, ut dicitur in libro Sapientiae,

(1) *Cod.* Via enim vita est lex...

sunt laquei pedibus insipientium (cf. Sap. 14, 11). 5° Ambulamus inter vasa vitrea, sed pretiosissima; et poena mortis posita est, si quis unum ex illis confregerit. Proximi nostri, cum quibus vivimus, sunt vasa pretiosa Domini nostri, sed vitrea, quae facile offendi et scandalizari possunt malo nostro exemplo et verbis nostris inconsideratis. Et qui unum scandalizat, melius erat illi ut mola asinaria suspensa ad collum eius demergeretur in profundum maris, ut Dominus ait (Matth. 18, 6).

Cogita igitur annon habeat causam timendi et sollicite ambulandi, qui in via angusta, ardua, longa, exposita ventis, inter laqueos et vasa vitrea ambulare debet, unde multi corruunt, et ex iis qui plurimam partem viae confecerant. Sed unum est remedium, si quis sciat se parvum efficere et, si fieri posset, ad instar formicae. Formica enim tutissime ambularet per viam iam dictam. Unde et Dominus : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum* (Matth. 18, 3). Ille autem est parvulus, qui nihil de se praesumit, et qui non seipsum vult regere, sed sinit se ab alio regi. Et hoc est quod initio dixi, quod summa prudentia religiosi est, permittere se regi ab obedientia. Hic posset poni exemplum Heronis apud Cassianum, collat. 2, cap. 5.

DE RENOVATIONE VOTORUM

(1577 Romae in iunio et 1593 in ianuario. Neapoli in domo 1595)

Dicturus de votorum renovatione, nihil potero novi adferre, cum toties de hac re dictum sit. Sed cum vota sint eadem quae toties renovantur, non etiam videri debet mirum, si eaedem renovantur exhortationes. Cur igitur renovatio ista fit tam saepe? Certe leges, pacta et promissa non solent renovari, nisi duabus de causis. Primo, quando de eis dubitatum est, et tandem omnes conveniunt; quomodo I Reg. 11, quia electum Saulem in regem alii recipiebant, alii non recipiebant, et postea explorata eius fortitudine et prudentia omnes eum receperunt, dixit Samuel : *Venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum.* 2° quando paulatim temporis diuturnitate res oblivioni traduntur; quomodo videmus in conciliis renovari canones antiquorum conciliorum.

Iam promissio et pactum votorum nullum dubium habere potest, nec etiam mandatur oblivioni a Deo, nec etiam a nobis, ut videtur; cur ergo vota renovantur? Immo vero et nos obliviscimur saepe pacti, et Deus etiam, et ideo utilissima est renovatio. Sicut enim intellectus est alius theoreticus, alius practicus, et multa scimus theoretice, quae postea non scimus redigere ad praxim. Unde in ps. 118 David ait : *Mandata tua intellexi, omnis consummationis vidi finem, et super senes intellexi,* etc. Et tamen ibidem dicit : *Non absconde a me mandata tua, doce me iustificationes tuas. Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas edoce me.* Et D. Augustinus, in hunc psalmum, explicat hanc contradictionem, dicens quod David sciebat semper quoad speculationem omnia mandata Dei, tamen non semper sciebat ea servare. De qua scientia

dictum est de Christo : *Peccatum non novit* (cf. II Cor. 5, 21). Sic ergo etiam memoria est quaedam theoretica et quaedam practica. Memoria theoretica non obliviscimur nos vota fecisse. Nam quandocumque interrogamur an fecerimus vota, respondemus nos fecisse. At memoria practica obliviscimur. Cum enim quis invitat nos ad aliquid contra vota, eo ipso interrogat non verbo, sed opere, an habeamus votum. Nos autem si sequimur invitantem, nonne opere dicimus : « Non scio me habere votum »? Cum autem nos obliviscimur servare quae promisimus, etiam Deus obliviscitur servare quod similiter promisit. Ps. (12, 1) : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem?* Item : *Oblivisceris inopiae nostrae, et tribulationis nostrae.* (Psalm. 43, 24). Qui facit vota religionis, renuntiat omnibus quae possidet, et accipit solum Deum, ut dicit nostra regula, in patrem, matrem, sponsam, domum, praedium, pecunias, vestes, etc. Et e contrario Deus promittit se futurum loco horum omnium. Nec enim Deus negare potest seipsum fideliter quaerentibus. *Bonus Dominus,* inquit Ieremias, Thren. 3, *sperantibus in eum, animae quaerenti illum.* Et hinc etiam promittit centuplum pro omnibus quae reliquimus, id est seipsum, qui omnia virtualiter continet.

At cum homo oblitus pacti convertit se ad ea quae reliquerat, et Deus obliviscitur eius ac relinquit illum. Et tunc erit illa summa miseria, quae facit hominem carere Deo et mundo, quae figurata est per filium prodigum, qui nec fruebatur bonis paternis, nec poterat implere ventrem suum siliquis porcorum. Et videtur similis talis homo Tantalo, de quo fingunt poetae, quod habet supra se optimos fructus, infra se dulces aquas, et tamen neutra attingere potest, et in tanta copia cibi et potus moritur fame et siti. Sic malus religiosus non potest habere res mundi, quas reliquit; non potest habere res Dei, quia eas non quaerit, ut oportet. Inde moritur fame et paulatim consumitur, arescit et efficitur ut lignum aridum a tineis consumptum, quod ad nihil utile est praeterquam ad ignem, ut docet Cassianus libro de spiritu tristitiae, cap. 3. Denique sicut vita sancti religiosi paradisum terrestre

habet in hoc mundo, ita nihil miserius vita mali religiosi, qui infernum in hoc mundo habet. Quid enim est infernus, nisi carere Deo et mundo, carere consolationibus animae et corporis? Quoniam igitur tam magnum malum oritur ex oblivione pacti cum Deo, inde utilissime institutum est, ut certis temporibus, quando verisimile est irrepere potuisse illam oblivionem, revocetur pactum. Et si quid rerum alienarum intravit in anima, eiciatur per confessionem, et rursum unio et pax cum Deo reformetur. Quomodo videmus nautas, cum per aliquod tempus navigaverunt, exhaurire aquam, quae paulatim intravit, et deinde iterum stupa vel pice claudere rimas, ut sic tandem saepius navim purgando et renovando, eam ad portum perducant.

Nunc, ne forte aliqui simpliciores obliviscantur interdum voti sui et non intelligant se oblivisci, explicemus breviter quid sint ista vota. Quid est vovere paupertatem? Est renuntiare omnibus quae possidet. Quid est renuntiare omnibus? Finge hominem mendicum in platea te videre, qui non habeat parentes nec affines, nec domum, nec vestes, nec cibos, nec pecunias, nec aliud quidquam, sed totus pendeat a misericordia aliorum. Iste pauper, quia vere et omnino pauper est, habet unam proprietatem, quod numquam litigat. Intelligit enim se super nullam rem ius habere. Itaque si detur ei panis, vinum, vestes, non conqueritur si non dentur maiora vel plura. Si accipiat commodato domum, aut libros, aut lectum, non murmurat, si postea ista auferantur, quia scit non esse sua. Haec est vera paupertas, sed nondum religiosa paupertas, nisi accedat electio, nimirum ut velit talis esse, etiamsi posset esse aliter, immo gaudeat se talem esse, timeat ditescere, cupiat augere in dies paupertatem, ut ii qui profitentur philosophiam, theologiam, etc. Unde scribit Bonaventura in Vita S. Francisci, quod ille, quando occurrebat alicui peius induto, quam ipse esset, totus erubescebat dicens : *Ecce nos profitemur paupertatem, et tamen iste in ea nos vincit, qui eam non profitetur.*

Hinc ergo unusquisque videat an aliquando obliviscatur voti. Consideret illas duas conditiones paupertatis. Prima, an

litiget et murmuret pro ulla re externa? — 2ª, an revera gaudeat et glorietur in paupertate? An contra quaerat commoditatem, res superfluas, res meliores, res multiplicatas? Etsi enim ista saepe cum licentia habentur, tamen repugnant perfectioni huius virtutis et impediunt viam ad acquisitionem verae virtutis paupertatis, quae est virtus moralis et acquiritur exercitio, sicut de humilitate dicit divus Bernardus, quod acquiritur per humiliationem.

At fortasse non multum refert huius virtutis perfectio? Immo est fundamentum vitae perfectae, et, ut inquit D. Franciscus, thesaurus incognitus. Quid enim est quod impedit ne anima nostra in Deum feratur et conversatio nostra in caelis sit, nisi quia aliquid habet in terra, ut pulchre explicat Basilius, q. 8 ex fuse explicatis, ubi etiam dicit hanc perfectionem comparatam a Domino cum illa preciosa margarita, quae non potuit emi nisi venditis omnibus. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (Matth. 6, 21). Unde etiam abbas Isaac, apud Cassianum, collat. 9, c. 4 et 5, comparat animam levissimae plumae, quae a minimo flatu sursum elevatur, nisi humore aut luto aliquo gravetur. Si autem vel una gutta aquae aspergatur, mox ad terram deprimitur. Ita, etc... Unde Dominus : *Videte ne graventur corda vestra crapula, et ebrietate, et curis huius mundi* (Luc. 21, 34). Porro curas huius mundi definiebant sancti illi monachi, ut ibidem Isaac dicit, id omne quod religiosus quaerit ultra necessitatem. Et ut intelligeremus a diabolo esse eiusmodi curas, ponit cap. 6, ibid., coll. 9, Cassianus exemplum. Quidam, inquit, probatissimus seniorum cum transiret iuxta cellam fratris cuiusdam, qui hac animi aegritudine laborabat, utpote qui in extruendis reparandisque superfluis inquietus quotidianis distentionibus desudaret, eminus conspexit eum gravi malleo saxum durissimum conterentem, viditque Aethiopem quendam astantem illi, et una cum illo iunctis manibus ictus mallei illidentem, eumque ad operis illius instantiam ignitis facibus instigantem, adeo ut cum nimia lassitudine fatigatus frater requiescere et finem operi voluisset imponere, tamen instigatione spiritus illius

animatus iterum resumere malleum, nec desinere ab intentione coepti operis urgeretur. Collat. 9, cap. 5.

Iam de castitate. Quid est vovere castitatem? Facile est dicere. Est non solum promittere continentiam a fornicatione, adulterio, etc., sed etiam a licitis nuptiis. Est enim castrare seipsum propter regnum caelorum. Sed ut videamus an nunquam obliviscamur voti, considerandus est finis huius voti, qui quidem duplex est, ut explicat sanctus Basilius in prooemio constitutionum monasticarum. Unus est ut refrenetur et exstinguatur, si fieri possit, concupiscentia carnis. Neque enim virginitas est virtus, quia privat hominem generatione, sed quia resistit concupiscentiae. Unde in paradiso terrestri non fuisset virtus virginitas, quia ibi fuisset matrimonium sine concupiscentia. At nunc est maxima virtus; quod Christus et B. Virgo et multi apostolorum et sanctorum verbo et exemplo docuerunt. Porro resistere concupiscentiae non solum est gloriosum propter difficultatem praelii, sed etiam est utilissimum ad perfectionem. Nam concupiscentiae, ut ibidem habet Basilius, reddunt animam turbulentam, inquietam et ineptam ad unionem cum Deo. Ut enim in fonte aliquo, quando movetur terra quae est in fundo, ascendunt pulveres, qui aquam turbant; et sicut ex terra humida ascendunt vapores, qui aerem nubibus obducunt et radios solis impediunt; ita motus carnis et concupiscentiae turbant et obscurant mentem, ne radios divinae lucis recipere possit. Nam *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5, 8). Votum ergo castitatis ad hoc fit ut comprimantur concupiscentiae, et terra carnis nostrae paulatim siccetur, et consequenter caelum animae serenetur.

Alter finis est ut homo liberetur ab amore carnali et cura multarum personarum, uxoris, filiorum, famulorum, ancillarum, etc. Paupertas enim liberat ab amore rerum, castitas ab amore personarum, qui est ut plurimum acrior et molestior, utpote magis intimus et naturalis. Unde recte Apostolus dicit virum coniugatum esse divisum et non posse, etiamsi velit, dare operam ut soli Deo placeat. Et Basilius vocat nuptias

compedes et tricas; et Dionysius et Cassianus inde deducunt nomen monachi. Iam ergo qui sine uxore est, tamen non dat operam frenandae concupiscentiae, sed alit prava desideria, pascit libenter sensualitatem oculorum, aurium, narium, gulae, is dici potest oblitus propositi sui. Si enim recordaretur cur uxorem habere noluerit, etiam recordaretur mortificare passionem carnis. Et similiter qui sine uxore et liberis est, tamen occupatur circa curam uxoris et filiorum alicuius alterius affinis, vel amici, quid ei prodest votum?

Veniamus ad votum obedientiae, quod est praecipuum. Quid est vovere obedientiam? Est abnegare seipsum, id est renunciare iudicio proprio et voluntati, ac dicere : Hactenus vos habui pro ducibus; nunc renuncio vobis, et volo alium ducem. Vos habui pro causa principali actionum mearum; nunc volo ut sitis instrumenta alterius. Et hoc modo proprie homo fit servus Dei, cum fit instrumentum animatum eius. Ut enim ait Aristoteles, instrumentum est servus inanimatus, et servus est instrumentum animatum. Quid requiritur ad bonum instrumentum? Requiruntur duo : 1° ut sit bene dispositum; 2° ut facile moveatur a causa principali. Et hoc secundum est magis necessarium. Nam si v. g. habeas calamum optime temperatum, sed habeat hoc vitium quod, cum vis scribere *a,* scribat *b,* cum tu vis *b,* scribat *a,* calamus quidem pulchras litteras facit, sed quorsum? Quid prodest? At si male sit temperatus, sed tamen obediat manui, faciet quidem turpes litteras, tamen intelligetur quod scribitur. Utinam hoc bene intelligeretur in religionibus! Hinc videbis an obliviscaris voti. Da mihi hominem boni ingenii, aptum ad omnia, sed qui, cum applicatur ad philosophiam, ille, neglecto eo studio, dat operam poesi, etc.; nonne obliviscitur se esse instrumentum? Da mihi alium iam doctum, qui potest docere, concionari, etc., sed cum iubetur docere, velit concionari, aut e contrario; nonne obliviscitur se esse instrumentum et perdit tempus? O recte concionatur. Esto. Sed quorsum? Et hinc est quod postea non succedunt opera nostra. Deus enim, cum videt instrumentum velle fungi officio causae principalis, non

concurrit, deserit, dicit : « Tu vis per te facere, facias. Videbimus quid recte facies ».

Est autem haec virtus nobis prae ceteris necessaria. Nam hac sublata, non video quid faciamus pro Deo. Ceteri enim religiosi vel ieiunant saepe, vel male vestiuntur, vel frequentes disciplinas faciunt, aut semper cilicia gestant, aut servant silentium, aut inclusi manent semper domi et omnes fere surgunt de nocte ad officia. Nos bene comedimus, bene vestimur, bene dormimus, colloquimur frequenter, facile egredimur, non habemus ex obligatione disciplinas nec cilicia; et multi ex nobis melius hic vivunt, quam domi suae fecissent. Si ergo cum his omnibus non obedimus, sed applicati ad unum, nos facimus aliud, quae erit merces nostra? Vereor sane ne poenam pro praemio exspectare debeamus. Quid enim dicemus Deo petenti : « Quid fecisti boni »? At si hanc unam virtutem exacte servaverimus, non est quod ullis religiosis invideamus. Est enim difficillima et gratissima Deo. Non enim magnum est pauperem esse. Quid est contemnere ea quae sunt extra nos? Neque magnum est esse castum et corpus domare, quod naturaliter servum est. At esse obedientem, domare et in servitutem redigere intellectum et voluntatem, quae naturaliter sunt libera et dominii atque imperii appetentes, hoc magnum est. Unde plurimi inventi sunt et inveniuntur qui possunt disciplinas facere et ieiunare, qui postea non possunt obedire. Et experientia docet difficilius esse perseverare apud nos, ubi nulla fere est austeritas, quam in aliis religionibus etiam maxime austeris. Cum ergo haec ita sint, accendamur, quaeso, ad hanc tam gloriosam victoriam. Et si hactenus dormivimus et obliti sumus exacte servare quod promisimus, renovemus propositum. Navigavimus his sex mensibus; quisque videat quantum aquae intraverit, et diligenter effundat. Effundite coram illo corda vestra. Effundamus aquam peccatorum, affectionum, etc., et renovemus navim animae, claudendo omnia foramina, id est tollendo omnes occasiones imperfectionis; ita fiet ut ad portum laeti perveniamus vitae. Amen.

EXHORTATIO IN CONVERSIONE S. PAULI

(1577 Romae et 1592)

Centuplum accipietis. Matth. 19. Dovendo questa sera ragionare alquanto à commune utilità delle anime nostre, mi è parso di pigliare quelle due parole dell' evangelio hodierno : *Centuplum accipietis,* perche in esse si contengono tutte le carezze et favori et beneficij che fa Iddio in questa vita à quelli, che si risolvono di servirlo da dovero. I quali certo sono tanti et tanto grandi, che, se bene fussero intesi, basterebbono a rinchiuder nelle religioni un mondo di persone et a tenerle poi quivi legate stretissimamente tutto il tempo della vita.

Rispondendo adunque N. S^re^ à S. Pietro, il quale in nome suo et degl' altri apostoli havea detto : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* disse : *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me,* etc. In verità vi dico, che voi, etc. Et poi ricordandosi Christo di noi altri, ò per dir meglio, attendendo che tanti et tanti homini poi havevano da voler imitar gl' apostoli, et lasciar ogni cosa per servir et piacere alla sua divina Maestà, soggionse : *Et omnis, qui reliquerit,* etc. *centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit,* cioè li darò in questa vita cento volte più di quello che lui lassa per amor mio, et poi nell' altro mondo la vita aeterna. Si che due cose ci promette : prima, di renderci in questa vita quel che lasciamo per amor suo con usura di cento per uno; et di poi una corona di gloria et un regno sempiterno. Talche

quel *centuplum* non è il pagamento, ma un trattenimento solamente, come un imperatore, quando va à far guerra, da à soldati ogni mese quattro ò cinque scudi perche habbino da vivere. Ma di poi, finita la guerra, à quelli che si sono portati bene non gli mette à conto quel soldo, ma gli rimunera da capo, facendoli conti ò marchesi. Et come i prelati grandi danno bene il salario à certi servitori vili, ma à cortegiani d'importanza non danno salario, ma gli fanno le spese, fin che li servano, et poi li remunerano con qualche dignità; et però sogliono dir che vivano et servano in speranza. Così Iddio ci serba il pagamento per doppo la morte, et in questo mezzo ci fa le spese dandoci quel centuplum. Hor si le spese, il trattenimento è una cosa si grande, che può pagare cento volte tutto quel che diamo à Dio, che sarà il vero pagamento, la vera remuneratione? Et questo è così? E certo! E vi dubbio alcuno? Non è cosa più certa al mundo, perche prima lo dice Christo che non può mentire, et lo dice tanto chiaramente, che non si bisogna glossa, ne commentario veruno. Dipoi non solo lo dice, ma lo giura : *Amen dico vobis.* Che così intende questo *Amen* Santo Agostino nel tract. 41 in Ioannem, et Origene tract. 35 in Matth., ancor che non disputo hora, se era propriamente giuramento. Et oltre à questo ha voluto farne un istrumento scritto à ciò non havessemo nissuna occasione di dubitare. Et quod hoc promittatur religiosis, patet quia Ecclesia legit hoc evangelium in festis apostolorum et abbatum. Hor si Iddio mi assicura, servendolo io in religione, con parole, con giuramento et con scrittura, di darmi senza fallo la vita aeterna, et di più centuplum in questa vita, non vi par che sia ragione, che io pigli una catena di ferro et mi leghi à queste muraglia, à ciò, se ben volessi, non mene possa mai partire? Non vi pare che sia pazzo qualunque intende questo partito et non l'accetta?

Ma passiamo più oltre, et vediamo che voglia dir questo centuplum. San Chrisostomo scrivendo sopra questo passo dice che quel centuplum vuol dire, che Iddio à uno che lassa una casa, un padre, alcuni fratelli et amici, gli da cento case,

cento padri, cento fratelli, cioè fa che per tutto'l mondo lui trovi chi l'alloggi et l'accetti, come se andasse in casa sua, à suo padre et suoi fratelli. Come, v. g., san Paulo lasciò la sua casa et suoi parenti, che haveva in una terra sola, ma dipoi fu tanto amato da tutti i christiani, che dovunque andava, ogni uno lo tirava in casa sua et haveva per favore di poterlo accettare. Et questo senso si può confirmare con quelle parole di san Marco al 10 capitolo : *Nemo est qui relinquat domum aut fratres, aut sorores, qui non accipiat centies tunc in tempore hoc domos, et fratres, et sorores,* etc. S. Girolamo gli da un' altra expositione et dice che Iddio parla delle consolationi, et vuol dire, che chi lassa le consolationi et piaceri carnali, haverà li spirituali, che sono tanto più grandi, quanto è più cento che uno. L'uno et l'altro dice bene, et il senso pieno et vero è generale, et vuol dire Christo che di ogni cosa che l'huomo lasserà per amore suo, ò sia casa, ò padre, ò consolatione, ò altra cosa, ne haverà cento per uno. Hor vediamo se questo si verifica ne' veri religiosi. Che lassa un religioso? Quattro cose : prima la robba con gli altri beni esterni, facendo voto di povertà; 2° le delettationi licite del corpo, come haver moglie, figlioli, andare à spasso, far convitti, etc., facendo il voto della castità; terzo, certa delettatione grande dell' animo, che l'huomo ha in dominare, reggere, governare, et non essere soggeto à nissuno, facendo il voto di obedienza; finalmente la speranza di questo mondo, che è una cosa generale, che comprende tutte l'altre.

Vediamo se Dio ci rende queste cose con usura di cento per uno. Quanto alla robba, che è il manco che lassiamo, non si può negare, se consideriamo due cose : una che Iddio provede singularissamente à tutte le religioni. Et se bene molte vanno mendicando, nondimeno non si è mai visto che un religioso sia morte di fame. D. Franciscus, D. Dominicus, P. Ignatius reliquerunt opes quae uni familiae sufficiebant, et Deus aluit iam a tot annis tot millia filiorum eorum. Alterum est, quod religiosi qui in communi vivunt, revera sunt omnes divites, ut dicitur Act. IV : *Gratia magna erat in omnibus illis.*

Neque enim quisquam egens erat inter illos. Comedimus enim medullam terrae Aegypti, ut dicitur de Israelitis (Gen. 45, 18). Divitiae sunt instar castaneae, quae intus habet modicam medullam et extra plurimas spinas. Habent enim divitiae aliquid boni, id est quod provident necessitati, tribuunt victum et vestitum; sed habent spinas plurimas, antequam ad medullam veniatur, id est labores, lites, contentiones, sollicitudines in eis acquirendis et conservandis. Nos ergo habemus medullam sine spinis, ut patet. Quis enim nostrum non potest dicere vere se domi habere more principum suum mastro di casa, dispensiero, coco, servitore di tavola, il suo sarto, il suo calzolaro, et di più il suo medico, il suo confessore, il suo mastro, il suo cappellano! Hoc solum interest inter nos et principes, quod nos non solvimus stipendia ministris nostris, ut illi faciunt. Et praeterea nonne nos vere quocumque terrarum imus, domum invenimus? Quis nobilium posset tam cito habere paratam domum in toto orbe terrarum, ut nos habemus?

Quantum ad 2^um^ de consolationibus, si Deus retribuit spirituales consolationes pro temporalibus, ut vere retribuit, nonne plus quam centuplum reddit? Nam id probare possumus ratione a priori et a posteriori. Ratione a priori, quia laetitia est una contentezza che nasce nella parte appetittiva, quando la parte apprensiva apprende l'oggetto conveniente esser presente alla potenza. Perche se l'oggetto non è conveniente, causa dolore ò timore. Se non è presente, causa desiderio, se non si conosce et apprende, non causa allegrezza, ma perfettiona senza causar allegrezza, come vediamo negl' alberi. Talche tria requiruntur ad gaudium : obiectum bonum, potentia apprehensiva et appetitiva, et coniunctio obiecti cum potentia. Et quo ista sunt excellentiora, eo maior est delectatio. Iam in delectatione sensibili obiectum est sine comparatione vilius quam in delectatione spirituali. Nam sensibile obiectum est res corporea, creata, finita, immo solum accidens, ut patet. At spirituale obiectum, de quo agimus, est Deus infinitus, substantia, et in quo omnia bona reperiuntur.

Deinde potentia longe perfectior et vivacior est intellectiva, quam sensitiva. Quis enim non mallet fieri caecus, et mutus, et surdus simul, quam perdere intellectum et fieri bestia? Porro coniunctio est maior in spirituali, quia in corporali solum uniuntur superficies extremae, et non penetratur nisi ad accidentia; at in spirituali intellectus penetrat substantiam rei, et sic unitur cum Deo, ut unus spiritus fiat cum eo.

Quod autem vulgo non ita esse videatur, accidit inde quod maior pars hominum corporales voluptates perfecte percipit, spirituales autem imperfectissime. Si quis in locis desertis educatus numquam audisset musicam nisi ovium, porcorum, asinorum, certe non posset imaginari suavitatem verae musicae. Tamen rem ita se habere ratio convincit; et non solum in alio mundo, sed etiam in hoc mundo habere sanctos maiores spirituales consolationes quam sint omnes corporales, ipsi testantur et verbis et factis. D. Bernardus, in declamatione in hunc locum, circa finem : *Noli,* inquit, *errare, noli seduci, ut non magis in spiritualibus spiritum credas, quam corpus in corporalibus oblectari.* Ponit exemplum de eo qui gaudet videndo equum suum bene comedere, sed longe magis cum ipse bene comedit. Et alibi : *Multi vident crucem nostram, sed non vident unctionem nostram.* Et D. Augustinus l. 6 Confess. cap. 3, dicit quod caelibatus Ambrosii videbatur sibi nimis laboriosus, sed causa erat quia *nesciebam,* inquit, *quid ille spei intus gereret, et quam sapida gaudia ruminaret de pane suo.* Et lib. 9 Conf. cap. 1, dicit de se : *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiciebas enim eas a me, tu, vera et summa suavitas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini.* Quid? Nonne psalmista dicit : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel ori meo?* (Psalm. 118, 103). Nonne Paulus : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio?* (II Cor. 7, 4). Et quomodo Antonius, Paulus, Franciscus totas noctes in oratione consumebant? De Antonio scribit Cassianus, collat. 9, c. 31, quod cum nox illi nimis brevis videretur, interdum conquerebatur de sole, quod nimis cito videre-

tur oriri. Et Gregorius, lib. 3 Dialog. c. 14, scribit de Isaac quod tres dies et noctes in oratione continuavit. Certe qui delectantur in cibis, per golosi che siano, non vorrebono stare tre dì et tre notte in tavola. De sancta Clara legimus, quod cum ab oratione redibat, quasi ebria a divina consolatione videbatur posita extra se. Denique legimus de sancto Antonio et Benedicto, quod numquam sunt visi moesti, quod certe de nullo dici potest quamvis felicissimo homine huius saeculi.

Iam de tertio. Quid nobis dat Deus pro hac servitute, qua subicimus nos obedientiae, et ex liberis sponte efficimur servi? Dat vere centuplum tribus modis. Primo, quia pro libero arbitrio viatoris, quod illi damus, dat nobis quodam modo liberum arbitrium beatorum. Liberum arbitrium nostrum tale est, ut possimus bene et male agere, et non possumus non aliquando male agere, sicut non possumus non mori corporaliter. Liberum arbitrium beatorum tale est, ut non possint male agere, sicut non possunt mori. In statu innocentiae erat quoddam medium. Nam non habuit Adam ut non posset male agere, nec etiam ut non posset non male agere, sed habuit ut posset non male agere, sicut habuit ut posset non mori. Quando ergo nos abnegamus nos ipsos et renuntiamus nostrae libertati, id est non volumus regi nostro arbitrio, quod est omnium imperfectissimum. Deus dat nobis regulam obedientiae; quam si sequamur, non possumus male agere et non mereri. Nam supposito quod superiores nihil iubeant expresse contra Deum, quicquid facimus quia obedientia praecipit, certi sumus quod placet Deo, et bonum est ac meritorium, etiamsi alioquin fortasse fuisset melius non sic agere. Et hic certe magnus est thesaurus et parum cognitus. D. Franciscus saepe dicebat : « In obedientia lucrum, in praelatione periculum ». Et ideo non quievit, donec praelaturam deposuit.

2° Pro hac una servitute obedientiae liberamur ab innumeris servitutibus, quae sunt in mundo. Saeculares enim bisogna che servino à tanti punti di honore, à tanti rispetti di questo et di quello, che non è quasi possibile di vivere con

gl' altri del mondo, et far bene. Se va per le strade un giovane secolare et non sbalestra gl' occhi di qua et di la, è tenuto un' hipocrita; se non fa come gl' altri, ogni un ne ha che dire. Se parla honestamente, se non si vuol vendicare, se vive casto, è tenuto per un sempliciotto. Talche molti sono che bisogna faccino bene occultamente. Hor da questa gran servitù et miseria si libera subbito un religioso et puo far bene liberissimamente, perche non solo non è vergogna ad un religioso andar con gli ochi bassi, parlar con modestia, far' oratione devotamente etc., ma vergogna saria far' altrimente.

3° Puo venire à tanta perfettione un servo di Dio, che diventa re et monarcha del mondo molto meglio che non fu mai ne Alessandro, ne Cesare. Perche uno che perfettamente si soggetta per l'obedienza à Dio, Iddio soggetta à lui tutte le cose, i demonii, le malattie, gl'elementi, gl'alberi, gl'animali, il cielo et la terra, e ogni cosa. Non vi ricordate di quel buon Mauro, quando faceva l'acqua servir per terra? et di quell' altro che prendeva la lionessa, come si prendesse una pecorella. Quei santi heremiti senza paura stavano fra i leoni, orsi, lupi, serpenti. Et che cosa non obbediva à un S. Francesco et à simili? A Giosue obedi anco il sole, et similmente à Isaia.

Quanto all' ultimo che lassiamo, cioè la speranza del mondo, ci paga Iddio con una speranza viva di quei beni eterni, che è una cosa che non si potria mai pagare. Vediamo qua in Roma un cortegiano che potria in casa sua darsi bel tempo, star qua tutto'l di attacato a una portiera, che non ha mai un' hora libera, et ha per segnalato favore, che li sia commandato. Et perche? Per una aspettatione, che mai forse non verrà. Et non dimeno non vendaria quella speranza per una gran cosa. Hor che conto ha da far un religioso di quella beata speranza, che ha di metter' i piedi in quella suppresa Hierusalem et haver la un luogo si segnalato? Si legge nel libro *de viris illustribus ordinis Cisterciensis* de quodam F. Arnoldo, qui, cum ad exitum vitae venisset et in summis doloribus constitutus esset, coepit clamare et repetere saepissime :

« Verum est, verum est! » Cumque monachi putarent eum prae dolorum magnitudine in phrenesim versum, dicebant : « Quid est, Verum est, verum est »? Respondit : « Non insanio; sed dico et video atque experior verum esse quod dixit Dominus se daturum centuplum. Ego enim fateor iam me accepisse plus quam centuplum. Tanta enim mihi nunc infunditur spes et tam certa vitae aeternae paulo post adipiscendae, et tanta laetitia ex illa spe, ut fatear hoc solum plus valere millies, quam illa omnia quae reliqui ». Et vere sic est. Quid enim, quaeso, solveret in puncto mortis aliquis saecularis pro tali spe?

Sed dicet aliquis : Ego iam diu reliqui omnia, et tamen adhuc non videor mihi centuplum accepisse. Nam non habeo illas consolationes spirituales, neque illam spem tam vivam. Respondeo malum esse; nam nihil tristius, ut S. Bernardus dicit, quam mittere manum ad opera fortium, et non ali cibo fortium, non habere consolationem mundi nec Dei. Et sicut milites et famuli qui non habent stipendium, coguntur ire furatum, ita etc... Sed quae est causa, cur non habeamus centuplum? Certe contractus est clarus inter Deum et nos; et Deus non potest fallere. Ergo videndum est ne defectus sit in nobis, qui putemus nos reliquisse omnia, et tamen non reliquerimus. Nec enim centuplum promittitur nisi reliquentibus omnia. Si igitur aliquis non reliquit penitus spem mundi, non mirum si non habeat illam spem vivam aeternae vitae. Et qui non reliquit penitus desiderium mundialium consolationum, non mirum si non accipiat consolationem spiritualem. *Renuit consolari anima mea. Memor fui Dei et delectatus sum* (Ps. 76, 3, 4) (1).

(1) *Subsequitur hic locus linea obductus :* Ego saepe cogitavi quid sibi vellet tanta austeritas vitae Iohannis Baptistae et multorum aliorum sanctorum, qui non magna peccata fecerant. Et invenio illam esse causam, quia anima nostra non potest sine delectatione manere; et si quidem in suae vicinae domo, id est in carne, invenit requiem, non curat aliud. At si ibi non invenit requiem, tunc

Augustinus lib. 3 de lib. arb., cap. ultimo : « Tanta est iucunditas lucis aeternae, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitae pleni deliciis, et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso aut parvo affectu dictum est, quoniam *melior est dies unus in atriis tuis super millia* (Psalm. 83, 11).

Beda in evangelium hoc dicit, quod boni saeculares stabunt misericorditer iudicandi, boni religiosi stabunt sublimiter iudicaturi.

---

ascendit et quaerit delectationem in Deo. Illi igitur sancti, ut compellerent animam quaerere Deum, non permittebant illam in carne quiescere, et propterea videbantur hostes sui ipsorum. Gaudebant in tribulationibus, et moesti erant in deliciis corporis. Apostolus Paulus non gloriatur nisi in tribulationibus. Divus Franciscus primam lectionem didicit a Deo, ut vinceret seipsum, si vellet invenire veram laetitiam. Et postea iam perfectus idem confirmavit in itinere a Perusia Assisium, loquens cum fratre Leone. Et sancta Catharina de Senis semper extollit odium sanctum sui ipsius.

EXHORTATIO

Oportet firmum propositum facere serio serviendi Deo. Serviendum autem est Deo in spiritu et veritate. Ioa. 4. Servit Deo in spiritu, qui intellectu et voluntate illi servit, intellectu cogitando semper de iis quae Deus vult a nobis fieri, et sollicite id quaerendo, iuxta illum qui dicebat : *Manus tuae fecerunt me,* etc. (Iob 10, 8). *Da mihi intellectum, ut sciam mandata tua.* (Psalm. 118, 73, 125); voluntate affectum ponendo... in mandatis Dei, etc. In veritate servit Deo, qui exequitur bonas cogitationes et desideria. Nam mendacium est operis, quando non conformatur intellectui, etc.

EXHORTATIO

Scopus noster est unio cum Deo, et similitudo cum ipso. *Sancti estote, sicut et ego sanctus sum* (Levit. 11, 44). Dei sanctitas in quatuor consistit : 1° Deus non oblectatur, nisi in se ipso intelligendo et amando, nec in ulla alia re; nam ab aeterno, quando solus Deus erat, tam laetabatur quam modo. In hoc ergo debemus ei similari, ut in nulla re delectemur, nisi in Deo. Et hoc est fundamentum vitae spiritualis. Nam vita spiritualis in eo consistit, ut quis renuntiet omnibus terrenis, et dicat : *Quid mihi est in caelo,* etc. (Psal. 22, 25), et *renuit consolari anima mea* (Psalm. 76, 3). Hoc autem quomodo fieri potest, nisi quis inveniat meliora, nisi dicere possit : *Memor fui et delectatus sum* (Psalm. 76, 4). Alioquin mittit manum ad opera fortium, et non alitur cibo fortium. Vult turrim erigere sine sumptibus, et pugnare sine armis. Quod vero sit magna delectatio cognoscere Deum et eum diligere, potest intelligi hac similitudine. Si esset palatium, in quo quis intraret, vellet semper manere et numquam taedio afficeretur, nonne dicendum esset ibi esse incredibiles delicias? At Deus in se ipso videndo et amando mansit ab aeterno, et numquam taedio afficitur. Deinde si plurimi palatium illud intrarent, et nullus umquam egrederetur, nonne diceremus ibi esse summas delicias? At in Deum intraverunt tot millia angelorum et sanctorum, nec ullus umquam egredi voluit. Praeterea, si videremus per fenestras palatii illius proici aurum, argentum, etc., et interrogati quid hoc faciunt, responderent illas esse sordes palatii, quid putaremus ibi esse? At revera nonne aurum, argentum, etc. Deus proicit inimicis suis? Nonne sancti etiam in hoc mundo ista ut lutum contempserunt, etc.? Praeterea si ex illius palatii convivio proicerentur cortices, putamina, ossa, etc., et ea tam

suavia essent, ut homines pro illis colligendis contenderent et se occiderent? At revera cortices sunt et putamina caelestis convivii delectationes huius mundi, et tamen pro eis homines se occidunt; quid ergo, etc. Denique si quis non vidisset, sed tantum legisset aliquid de magnitudine eius palatii, vel ab alio audivisset, et ipse statim raptus relinqueret omnia, et ad solitudinem se conferret, ut semper de eo palatio legeret vel cogitaret, quid diceremus? At nonne D. Antonius, Paulus et tot alii tantum legerunt, vel a Deo audiverunt, etc. Deinde Deus amat omnes creaturas, sed propter suam bonitatem et gloriam, propter earum utilitatem, et non propterea intermittit cognoscere et amare seipsum. Sic debemus facere, etc.

SUPER EVANGELIUM DE DECEM VIRGINIBUS

(Neapoli ad novitios 1595; item Lupiis in Februario 1596; Romae 1598 in collegio, in festo sanctae Agnetis; in poenitentiaria 1599).

In hac parabola, ut in reliquis sermonibus suis, docet nos Dominus modum acquirendi salutem. Et primo, docet magnitudinem finis, ut illo amato libenter quaeramus et accipiamus media; 2° docet media; 3° docet miseriam damnationis.

1. Igitur finis notatur duabus vocibus : regnum et nuptiae. Haec enim continent omnia bona huius mundi. Nam regnum continet potentiam, honorem, divitias. Sed caret voluptate, si exerceatur ut oportet, quia est plenum sollicitudine. Nuptiae continent omnes delectationes conviviorum, cantuum, odorum, ludorum, etc. Ideo regnum simile nuptiis est potentia, divitiae, honor cum voluptate. Solet enim Deus nobis describere bona caelestia per similitudines rerum humanarum, quas noverimus. Modo vocat prandium, modo coenam, modo regnum, modo sedes iudiciarias, etc. Exemplum de bestiis, quomodo conciperent convivia hominum, si discurrere possent.

2. Ut ad has nuptias quis perveniat, requiruntur quattuor : 1° ut sit virgo; 2° ut habeat lampadem accensam; 3° ut habeat oleum ad conservandum lumen in lampade; 4° ut vigilet et exspectet adventum sponsi.

Virgo est, qui est purus a peccato. Nam nihil coinquinatum intrabit. Unde qui non est perfecte purgatus, quando moritur, non vadit ad festum nuptiale, sed ad carceres inferni vel purgatorii. Hinc apparet quam bona sit regia illa caelestis, in qua nullus est malus. Sancta Catharina fuit vere virgo et purgavit

omnia partim caritate, partim passione. Et religiosi idem possunt, quia religio adfert indulgentiam plenariam, ut patet ex Athanasio, Hieronymo, Bernardo et aliis; 2° habet securitatem non peccandi, super evangelium si quis velit regulam sequi; 3° habet modum purgandi per poenitentias, per exemplum de B. Bertranno, etc.

Habet lampadem accensam, qui facit opera bona : *Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona* (Matth. 5, 16), etc. Nam non sufficit declinare a malo, nisi etiam fiat bonum. Nam vita beata est haereditas, et sic datur tantum filiis, id est adoptatis per gratiam; et simul est palma, corona, bravium, et sic datur tantum merentibus. Omnia bona opera includuntur in igne, id est caritate, quia plenitudo legis est dilectio, et qui diligit, facile facit omnia bona opera. Sancta Catharina, cuius hodie festum agimus, in his excelluit. Nam martyrium non solum purgat peccata, sed etiam est opus summi meriti. Sicut etiam votum virginitatis fuit holocaustum. Fecit quoque tanta bona, ut habeat omnes aureolas, virginitatis, martyrii et doctoratus, quia convertit tot philosophos, etc. Religiosi possunt esse similes martyribus, quia eorum vita est longum martyrium, quia sacrificant suam voluntatem quotidie. Sed oportet serio agere. Nam qui volunt sibi condescendi a superioribus, non sacrificant voluntatem, nec martyrium accipiunt, sed dant martyrium superioribus, etc.

Oleum in vase est devotio, et in hoc distinguntur prudentes a stultis, quod prudentes curant nutrire lumen, etc. Amor Dei comparatur igni candelae, quia ignis candelae est in regione aliena et ideo eget fomento et custodia a vento, etc., sicut etiam plantae peregrinae egent multa cura. Similis est etiam grano seminato in terra bona vel super petrosa. Unde Paulus : *In caritate radicati et fundati* (Ephes. 3, 17). Radicatur caritas eo modo quo amor mundi, videndo, loquendo, serviendo.

Quod S. Catharina habuerit multum olei et fuerit radicata in caritate patet, quia non potuit extingui caritas nec deliciarum promissione, nec tormentis, etc. At verisimile est, quod

nutrierit amorem portando evangelium in pectore, sicut dicitur de S. Cecilia.

Hic dicatur aliquid de vera oratione, quae est elevatio mentis in Deum. Et ideo non prodest oratio non intellecta. Unde non recte faciunt coadiutores, qui legunt officium B. Mariae, et melius facerent legendo et meditando rosarium, ut regulae iubent.

Ultima condicio est vigilia, et haec est praecipua condicio, unde Dominus concludit : *Vigilate itaque,* etc. Non prohibet dormitionem corporalem, nam *dormitaverunt omnes et dormierunt.* Sed prohibet dormitionem animae, ex qua aliqui tempore mortis imparati inveniuntur. Unde aliquando dicitur : *Estote parati;* aliquando : *vigilate,* ut significet idem esse vigilare et esse paratum. Iubetur autem haec vigilia, quia Spiritus sanctus veniet media nocte, id est quando minus cogitatur et putatur. Et revera maxima pars hominum moritur, quando minus cogitat se morituram. *Sicut laqueus veniet dies illa,* dicit Dominus (Luc. 21, 35) de iudicio universali, sed idem accidit pluribus in iudicio particulari. Oportet igitur semper esse paratum, exspectando mortem et exspectando cum desiderio. Nam qui exspectat, parat se. Oportet item exspectare cum desiderio, quia sponsus venit, et ituri sumus ad nuptias. Haec est optima dispositio, exspectare mortem cum desiderio. Nam qui desiderat mori, libenter et diligenter se parat; ut illi qui cupiunt ire Romam vel Neapolim, etc. Sed revera soli valde boni hoc desiderant, quia qui desiderat mortem, signum est quod vere amat, et est sponsa, non adultera. Est servus fidelis, est filius bonus, etc. Exemplum de sancto Andrea, qui exultavit videns crucem, quia per illam ibat ad sponsum; de S. Ignatio, qui scribit ad Romanos ne impediant eius passionem; de S. Francisco, S. Clara, P. Ignatio, S. Catharina de Genua. O quam est dissimile desiderium sanctorum desiderio mundanorum, etc.

3. Sed quid erit de illis, qui extinctam lampadem habebunt, et imparati erunt, veniente sponso? Manebunt ad ianuam dicentes : *Domine, Domine, aperi nobis.* Et dicitur illis : *Nescio*

vos. Hic explicatur dolor gehennae. Nam damnati summo desiderio appetunt beatitudinem, quia cognoscunt perfecte in ea consistere totum suum bonum, et in aeternum non habebunt. Id quod cruciat est non posse implere desiderium. Nunc non cruciamur, quod non simus in caelo, quia non desideramus, etc. Exemplum de eo qui stat foris in maximo frigore, tempestate, periculo ferarum, et pulsat ianuam, etc.

Hic dicatur de stultitia nostra, qui possumus, si velimus, statim a morte ire ad nuptias; et ob solam negligentiam imus ad carcerem purgatorii, et non solum privamur aliquot annis beatitudinis, sed incidimus in poenam atrocissimam. Quod possimus statim ire ad nuptias, patet ex Bernardo in Serm. de quadruplici debito. Quod incredibilis sit iactura perdere aliquot annos beatitudinis, patet ex Augustino in fine librorum de libero arbitrio. Adde quod vita perfecta etiam in hoc mundo est iucundior.

DE LIBERTATE SPIRITUS

Exhortatio prima

(1593 Romae; Neapoli in domo 1595)

Cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos (Io. 8, 32).

La libertà di spirito è una cosa nobilissima, dolcissima et sopra modo utile et necessaria. E cosa nobilissima, perchè la libertà di spirito, non essendo altro che un essere sciolto dall' affetto di ogni cosa creata et principalmente di se stesso, fa che l'huomo viene ad esser sopra ogni cosa creata, non suggetto à niente, eccetto Dio, anzi è padrone di ogni cosa et di tutte si serve per salire à Dio. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, dice S^to^ Paulo (I Cor. 3, 22).

E cosa dolcissima, perchè un' anima sciolta da tutte le cose create, con ogni facilità sale a Dio, et si unisce con il summo bene, et si conserva in quell' unione; et perchè niente gli può nocere essendo superiore à tutte le cose temporali, gode una pace et una allegrezza, *quae exsuperat omnem sensum.* (Phil. 4, 7.) *Et quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis?* (I Petr. 3, 13). Qui solum invidet aliis bona infinita et aeterna, quae non possunt auferri, nisi velimus, quodam modo impassibilis est, et fruitur (1) perpetua pace.

E finalmente cosa utilissima, anzi necessaria, poiche essendo noi in questa vita forastieri et pellegrini, come dice S^to^ Pietro (I Petr. 2, 11), non è possibile che arriviamo alla patria, se non caminiamo, anzi se non corriamo, perchè il tempo

(1) *Cod.* frui.

è breve et la via longa; ne solo siamo pellegrini, ma siamo in uno stadio, che bisogna per forza correre, se vogliamo il palio della vita eterna, come dice S^to^ Paulo (I Cor. 9, 24), si che i duoi principi degl' apostoli con dui metafore ci affermano esserci necessario il corso nella via di Dio. Per correre et anco per caminare, bisogna esser libero et sciolto. *Compediti sunt omnes proprietarii,* disse quel devoto et illuminato Thomaso de Chempis. Et più viaggio fa in un mese, cioè più progresso nell' oratione, nell' humiltà, nell' amor divino et in tutte le virtù un huomo libero interiormente, che non fa in molti anni quello, che è legato à qualsivoglia cosa temporale.

Dicam igitur 1° quid sit haec libertas;
2° de mediis illam parandi.

1. Libertas est solutum esse ab omnibus impedimentis, etc. Libertas spiritus est posse libere vacare Deo, et eius implendae voluntati. Haec perfectissima est in beatis, et dicitur libertas gloriae filiorum Dei. Illi enim a nulla re possunt impediri, quominus semper actu cognoscant et diligant Deum; item quominus corpus transferant quocumque voluerint. Nos autem in hoc mundo inchoamus hanc libertatem, primo quoad animam, dum ita solvimur ab affectu rerum temporalium, ut sine difficultate vacemus Deo et crescamus in eius cognitione et amore; secundo quoad corpus, si in servitutem redigamus, ut non recalcitret, cum est patiendum. Funes, quibus ligamur, duo sunt : desiderium et amor, ut sanctus Augustinus docet in ps. 79 in illud : *Incensa igni et suffossa,* etc. Nam desiderium incendit, timor deicit et in profundum mittit. Utrumque horum gignit sollicitudinem, occupat mentem, impedit cursum ad Deum. Radix utriusque est amor proprius. Desideramus enim multa vana et timemus contraria, quia carnem nostram inordinate amamus. Amor proprius est veluti iugum grave; desiderium et timor sunt duo funes, qui pendent utrinque et ligant collum.

Remedium unicum est veritas. *Veritas liberabit vos* (Io. 8, 32). Et quia Spiritus sanctus est spiritus veritatis, ideo *ubi*

spiritus Domini, ibi libertas (II Cor. 3, 17). Nam nulla vincula possunt hominem ligare, nisi velit, et si quis serio nollet, non ligaretur. Ideo ut ligetur, debet decipi, non cogi, ut accidit Sampsoni. Ideo dicitur : Omnis malus ignorans, et errant qui male agunt (cf. Prov. 14, 22). Et quamvis possit stare cognitio veritatis in universali cum mala voluntate, tamen in particulari et practice non potest stare. Semper enim voluntas eligit quod in particulari intellectus iudicat esse bonum. Unde si iudicium semper esset cum veritate, numquam voluntas peccaret.

Sed passim decipit nos falsa imaginatio. Nam apprehendimus quaedam parva mala tamquam gravissima; et inde timemus, et sollicitamur, et inde ligamur, ut non possimus progredi. Ubi notandum, quod apprehensio mali statim turbat totum hominem. Nam angustiatur cor ad imaginationem mali, et ideo facillime impletur. *Tristitia*, inquit, *implevit cor vestrum* (Io. 16, 6). Exemplum de Aman. Item exempla quotidiana fratrum qui turbantur gravissime propter res minimas. Idem dici potest de desiderio rerum bonarum. Nam imaginamur quaedam bona temporalia esse valde bona et necessaria. Et ideo sollicite ea quaerimus, et illa sollicitudo mire occupat et ligat animam.

Quod remedium? Ut illuminemur a veritate. Nam si cognoscamus veritatem, sine dubio veritas liberabit nos. Proponam igitur aliquot veritates. Prima veritas est ut qui est ligatus, intelligat se esse ligatum. Nisi enim quis hoc intelligat, non quaeret libertatem. Quomodo cognoscet quis an sit ligatus et haereat rebus temporalibus? 1° legat caput 59 libri 3ii Thomae de Kempis, ubi declarat motus naturae et gratiae. Omnes enim motus naturae corruptae ibi descripti sunt signum amoris proprii; motus autem gratiae sunt signa libertatis. 2° Id cognoscet a posteriori ex progressu in via Dei. Nam si quis se diligenter intueatur et ponat cor suum super vias suas, si videt se semper in suis imperfectionibus haerere, non facere ascensiones in corde, non proficere in cognitione et amore Dei, difficulter mentem elevare, etc., si-

gnum est manifestum illum esse compeditum. Nam qui scit viam et vult ambulare et tamen non ambulat, certe non potest. Et si non ideo non potest, quia desint ei vires, aut socii, aut pecuniae, certe ab aliquo tenetur, etc. 3° Id cognoscet ab alio signo. Nam qui non adhaeret alicui rei, non dolet si ab ea separetur. Si autem dolet, ei sine dubio adhaeret. Nam si exuam indusium, non doleo; si exuat scabiosus, cui adhaeret, dolet. Similiter, ubi non est anima, potest praecidi sine dolore, ut patet de unguibus et capillis. Ubi est anima, dolet si praecidatur, ut patet. 4° Ab alio signo, *ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (Matth. 6, 21). Qui cogitat et sollicitus est de cibo, potu, veste, etc., ille habet haec pro thesauro. Qui autem non habet pro thesauro, non cogitat de his rebus, sed accipit indifferenter omnia, tamquam aliud agens. Utitur enim hoc mundo, tamquam non utatur.

DE LIBERTATE SPIRITUS

Exhortatio secunda

(In octava Sancti Ioannis Baptistae)

Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos (Io. 8, 32).

S. Ioannes Baptista, cuius octavam celebramus, fuit vera idea hominum liberorum ab omni vinculo amoris et timoris inani. Nam non solum in praeparatione animi, sed etiam re ipsa ita contempsit omnia temporalia ut ab infantia usque ad mortem caruerit domo, lecto, vestibus, cibo humano, omni denique solatio temporali. Itaque perfectissime intellexit duas veritates, de quibus tractaturi sumus. Una est, bona temporalia esse indigna quae amentur, et melius esse ea non habere quam habere; 2ª mala temporalia non esse digna quae timeantur, et melius esse ea habere quam non habere. Cognitio harum veritatum est prudentia spiritus, sicut cognitio contrarii est prudentia carnis.

Et quia sanctus Ioannes praecipue studuit docere has veritates verbo et exemplo, ideo de eo dixit angelus, Luc. 1, ipsum venisse ut converteret corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iustorum. Ubi notandum quod angelus explicuit verba Malachiae. Malachias dixerat venturum Eliam ut convertat corda patrum in filios, et corda filiorum ad patres eorum, id est ad faciendum ut filii essent similes parentibus et agnoscerent parentes, et agnoscerentur ab illis ut veri et legitimi eorum filii. Et quia filii degeneraverant a patribus propter malos mores, explicat angelus dicens futurum ut filii sint similes patribus, si filii increduli reducantur ad pruden-

tiam patrum iustorum. Patres iusti fuerunt patriarchae et prophetae, qui prudentissimi erant prudentia spiritali, non carnali; et ideo cum Deus promitteret terram fluentem lacte et melle, ipsi intelligebant promitti Palaestinam, ut figuram regni caelestis, non ut rem principaliter promissam, quomodo si rex promitteret unam provinciam et eam in charta pictam ostenderet. Et ideo sancti illi patres non putabant se esse in terra promissionis, sed peregrinos se esse dicebant, et aliam quaerebant civitatem, et promptissimi erant omnia deserere, sicut Abraham, qui etiam filium unicum promptus erat occidere. Ab hac prudentia degeneraverant filii, qui vivebant tempore sancti Ioannis, qui dicuntur increduli, vel secundum graecum codicem ἀπειθεῖς, id est inobedientes, quia propter defectum prudentiae spiritualis non obediebant mandatis Dei, et ideo erant increduli quoad opera, quia sic vivebant, quasi carerent fide. De qualibus dicit Apostolus : *Fatentur se nosse Deum, factis autem negant* (Tit. 1, 16). Ioannes igitur convertit incredulos ad prudentiam iustorum, dum verbo et exemplo docuit veritates praedictas. Quod idem facere debent concionatores, reducendo christianos modernos ad prudentiam apostolorum et religiosos modernos ad prudentiam primorum fundatorum.

Veniamus igitur in particulari ad nostras veritates.

Prima veritas est bona temporalia, si prudenter considerentur, non esse magna bona, sed parvissima et indigna quae appetantur, et tanto melius se habere religiosos, quanto minus de illis habent. Probatur 1° testimonio Scripturae. *Omnis gloria filiae regis ab intus* (Psalm. 44, 14). Exponit hunc locum Augustinus de anima christiana, cuius omnia bona sunt interiora; exteriora enim nihil curat, nec evangelium promittit aut laudat nisi interna; imo exterius multa mala promittit, ut patet ex evangelio Matth., 5 : *Beati pauperes, beati mites, beati qui lugent, beati misericordes,* etc., ubi exterius ponitur paupertas, lacrymae, persecutiones; interius mansuetudo, misericordia, sitis iustitiae, mundities cordis, pax Dei exsuperans omnem sensum. Hinc dicitur sponsa, nigra sed formosa, nigra exte-

rius, formosa interius. Unde tabernaculum exterius tegebatur sacco, sed interius vestiebatur serico. Itaque qui in professione christiana, et maxime religiosa, quaerunt externa commoda aut delicias, illi aut nesciunt, aut non approbant doctrinam evangelii.

3° Probatur exemplis sanctorum. Nullum est enim commentarium melius Scripturarum, quam exempla sanctorum. Nam si haec bona essent vere bona et utilia, Deus ea daret amicis et non daret inimicis suis, aut certe maiori mensura daret amicis, quam inimicis. At contrarium facit Deus. Nam dat quidem interdum amicis, ne putaremus, ut ait Augustinus, haec bona non dari a Deo, sed a fortuna vel a diabolo; tamen inimicis dat in multo maiori copia, ut patet de regibus Assyriorum, Chaldaeorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, Turcarum, etc.; amicis autem dat quidem in magna copia bona interna, sed externa valde ad mensuram. Ecce S. Ioannes Baptista amicissimus Dei fuit, annuntiatus ab angelo, sanctificatus in utero, laudatus a Christo, propheta, martyr, doctor, virgo, et tam sanctae vitae, ut dubium sit inter theologos an peccaverit venialiter voluntarie. Et tamen Deus illi tam parum dedit de temporali commoditate, ut vix potuerit minus dare. Nam ceteri sancti post aliquot vitae annos coeperunt, Deo inspirante, contemnere temporalia; iste ab infantia. Ceteri saltem panem aut legumina comedebant, vestiebantur panno quamvis grosso, dormiebant in tabulis vel stramine, loquebantur cum hominibus; iste ab infantia fuit in eremo, sine veste linea vel lanea, solo cilicio indutus, sine pane et alio cibo, exceptis locustis et melle silvestri, qui non videntur cibi hominum, sine lecto, sine conversatione; et tandem permisit Deus illum capi, ligari, plecti capite. Quis igitur non videat quam sint parum curanda, quae Deus tam parum curat, ut ex iis quam minimum det amicis suis, multum autem inimicis suis?

Adde exemplum sanctae Mariae Magdalenae, quae fuit prima eremitissa, sicut Ioannes primus eremita. Et sicut Ioannes ab infantia usque ad iuventam, ita Magdalena a iuventute usque ad senectam vixit in eremo sine ullo humano solatio.

3° Probatur ex utilitate carentiae temporalium. Nam magna prudentia est in itinere exonerari; et vere experimur quotidie illos expeditius currere in via Domini, qui paucioribus contenti sunt. Plus enim gravat et nocet animae sollicitudo rerum, quas cupimus vel amamus, quam prosint corpori res ipsae habitae. Unde S. Vincentius, in tract. de vita spirituali, hortatur religiosum cupidum perfectionis, ut nullis precibus sinat se adduci ad accipienda aliqua non necessaria. Praeterea incredibiliter iuvat carentia rerum ad conservandam puritatem animae. Et haec fuit una ex praecipuis causis cur S. Ioannes Baptista vitam egerit tam austeram. D. Aegidius interrogatus cur Ioa. Baptista tantam paenitentiam egerit, respondit : « Quia saliuntur carnes recentes, ne putrescant ».

4° Probatur ex parvitate rerum temporalium. Vere enim parvissimae sunt, et non facit eas magnas et appetibiles, nisi falsa imaginatio. Et revera si faceremus reflexionem super ea quae appetimus, non esset opus alio remedio ut liberaremur ab amore. Sufficeret enim corrigere imaginationem. Ut autem intelligamus hanc veritatem, cogitemus primo ea, quae appetimus, ut sunt in se. Sunt enim tam parva, ut sint indigna quae amentur. Quid enim est cibus, vestis, cubiculum, officium, genus studii, etc. Haec enim non faciunt bonum nec felicem habentem, nec malum aut miserum non habentem, ut patet tum ex multis, qui ista non habent, et tamen boni et laetissimi sunt, et ex multis qui habent, et tamen non ideo sunt meliores, nec habentur meliores, nec laeti sunt, sed semper anxii et solliciti. Exemplum de equo, cuius bonum non pendet ab ornamentis externis, sed a robore, velocitate, etc. Item de vite et arboribus, quarum bonum non pendet a foliis et ramis, sed a fructibus, etc.

Secundo, consideremus haec eadem externa et temporalia, in comparatione ad ea, ad quae aspirat anima christiana. Aspirat enim ad illud bonum, quod facit beatum ipsum Deum, et sine quo Deus non esset beatus, id est visionem ipsius. Quomodo potest fieri, ut anima aspirans et currens ad tam excelsum bonum, non erubescat vel cogitare de rebus istis

vilissimis? Exemplum de rege, qui tractat negotia gravissima regnorum et provinciarum, qui erubesceret cogitare de cura gallinarum, etc. Sed dices : Esto, non sint ista magna; tamen sunt necessaria, et ideo sollicite quaerenda. Imo hic maxime ludit et decipit imaginatio, quae pallio necessitatis cooperit appetitum superfluitatum. Nam quae necessaria sunt, paucissima sunt, et a nobis habentur, etiamsi de illis nihil cogitemus. Quaero enim, num indigemus aqua, sicut monachi Aegypti et Syriae, qui colebant eremum arenosam, et ad multa milliaria adferebant aquam? Num indigemus pane et vestibus, sicut innumeri pauperes et nobiles ad inopiam redacti? Nonne ea, quae in communi dantur, sunt talia ut multi divites ea non habeant et multi ex nostris, si in saeculo essent, ea non haberent? Non igitur necessitas, sed abundantia et vanitas facit nos desiderare et quaerere varia. Certe si experiremur cum S. Paulo famem et sitim, frigus et nuditatem, laborem et fatigationem, ea quae habemus summae deliciae nobis viderentur. Legitur in 1° libro S. Bernardi, quod in principio monasterii Claraevallis vivebant monachi illi ex pane deterrimo, ut terra potius videretur quam panis, et ex foliis fagorum. Et quamvis fuissent in saeculo nobiles et cibus ille tam esset insipidus et simplex, tamen quia dabatur ad mensuram et illi toto die laborabant, videbatur eis cibus suavissimus, ita ut timere coeperint peccatum sensualitatis, etc. Hinc igitur apparet desiderium variorum et meliorum non esse ex necessitate, sed ex mala consuetudine, etc. Quod autem dico de cibis et vestibus, multo magis locum habet in aliis rebus, ut in libris. Quidam enim volunt cubiculum plenum libris, quia dicunt se omnibus illis quotidie indigere. At si ita esset, non possent isti nec comedere, nec dormire, etc. Tot enim libros habent ut non sufficiat dies ad eos aperiendos, nedum legendos. Itaque multos habent, quos raro legunt, multos quos numquam. Cur igitur eos volunt? Propter concupiscentiam oculorum, ut videant cubiculum plenum; propter concupiscentiam carnis, ut non sumant laborem eundi ad bibliothecam; propter superbiam vitae, ut

aestimentur viri graves, etc. Omitto alia, quae minorem speciem habent necessitatis, et quae ad solam pompam honoris pertinent, ut studium theologiae, defensio conclusionum, etc. — Dicent rursus : Etiamsi ista quae appetimus non sint magna neque necessaria, tamen habent suam utilitatem vel delectationem licitam, et in re, non in imaginatione. Vere enim melior est vestis nova quam vetus, caro haedina quam agnina, vinum quam aqua, etc. Ita iudicant, qui non gustarunt meliora. At qui gustarunt bona interna, iis non solum ista non videntur dulcia, sed videntur amara et gravia. Certe sanctus Augustinus, qui aliquando non putabat se posse carere quibusdam carnalibus voluptatibus, postea, gustata Dei suavitate, dixit suavius sibi factum fuisse illas dimittere, quam antea esset illas retinere. Et sanctus Franciscus dicebat valde difficile esse servire necessitati corporeae, et sequi internam suavitatem. Sed quia non potest intrare suavitas vini Dei, nisi effundatur acetum ex vase cordis, oportet interim credere experimento aliorum et effundere amorem carnis, etc.

Atque haec de liberatione ab amore.

DE LIBERTATE SPIRITUS

Exhortatio tertia

Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos (Io. 8, 32).

Secunda veritas, et in ordine tertia, est quod mala temporalia sunt indigna quae timeantur et solum ab imaginatione fiant magna. Sicut accidit equis, qui dicuntur umbrosi. Probanda igitur est haec veritas.

1° Testimonio Scripturae. Nam Dominus saepe monet : *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus* (Luc. 12, 4). Mors est ultimum terribilium et naturaliter unusquisque pro conservanda vita contemnit omnia. *Pellem pro pelle dabit homo, et cuncta quae habet pro anima sua* (Iob 2, 4). Si ergo mortem non debemus timere, quid erit in hoc mundo timendum? Apostolus loquens de suis tribulationibus, quae, dum vixit, perpetuae et gravissimae videntur fuisse, ait : *Momentaneum et leve tribulationis nostrae. Omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum* (II Cor. 4, 17). Proinde nihil timendum, si diligamus Deum. Hinc dicitur : *Perfecta caritas foras mittit timorem* (I Io. 4, 18) et *Quis est qui nobis noceat, si boni aemulatores fueritis?* (I Petr. 3, 13). Unde Chrysostomus : *Nemo laeditur, nisi a seipso.* Sanctus Petrus : *Modicum passos*, inquit, *ipse perficiet* (I Petr. 5, 10), etc. Et : *Timorem eorum ne timueritis* (I Petr. 3, 14). Iacobus : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis* (Iac. 1, 2). Itaque Christus et apostoli aperte testantur nihil esse timendum.

2° Probatur ex consuetudine et iudicio Dei. Nam si mala temporalia essent mala vere, Deus non daret ea suis amicis,

quibus bene vult. At Deus amicis suis accumulat maxime temporalia mala. Nam apostolos, quos amicos vocaverat, misit sicut oves inter lupos, et non pepercit illis usque ad mortem inclusive. In hoc mundo post aliquot annos laboris datur requies, ut patet de gladiatoribus qui donabantur rude (1), de militibus qui emeriti donabantur agris, de doctoribus qui iubilantur. At Deus talem usum non habet cum suis, sed vult eos laborare usque ad mortem. Et hinc demum *dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis* (Apoc. 14, 13). Unde, quando quis vult quiescere ante mortem, id non dicit spiritus, sed caro. Et nota quod dicit Evangelista, et non dicit ex se, sed audit vocem de caelo, et audit : *Scribe,* ut significetur firmitas decreti divini.

Et non est mirum, quod Deus sic faciat. Nam tota haec vita est cursus ad bravium. Si quis autem vellet quiescere circa finem, stultus esset, et qui suaderent quietem, non veri amici essent.

Praeterea totum tempus vitae est tempus lucri. Nullum autem est lucrum magis securum, quam per patientiam. Ideo Deus, qui optime noverat quam ingens bonum amittatur per temporalem requiem, dabat suis labores usque ad mortem, etc.

Dicet quis : Ergo non licebit recreari aliquando? Respondeo : licebit, si accipiatur recreatio tamquam medium ad novum laborem, quomodo bellum est licitum in ordine ad pacem. Sic enim etiam Dominus duxit aliquando apostolos in desertum, et ait : *Requiescite pusillum* (Marc. 6, 31). Signum autem utrum quis recreetur ut laboret, an potius recretur ut recreetur, est si moderate accipiat recreationem. Nam qui accipit medicinam, ut medium ad sanitatem, accipit in mensura, quantum sufficit, et non amplius. At si quis acciperet propter delectationem, quia forte est dulcis, is acciperet

(1) *Rudis dicta est virga, qua gladiatores olim, cum ipsis permitteretur e gladiatorio munere cessare, a praetore donabantur, et publica alebantur pecunia.*

quo plus posset. Et qui ambulat ut aliquo perveniat, non amplius ambulat nisi ad certum spatium. At qui ambulat animi gratia, non curat quantum ambulet. Praeterea qui recreatur ut laboret, non aegre fert, sed gaudet cum finitur recreatio et reditur ad laborem. Et in hoc distinguitur recreatio saecularium et bonorum religiosorum, etc.

S. Bonaventura docet ascendentes ad montem perfectionis debere semper progredi, et, si quiescere volunt, non debere descendere ad vallem ut quiescant, sed in ipso loco, ubi sunt, quiescere; vel non quiescere, sed moderatius currere. Exemplum in cibo. Qui ascendit ad montem temperantiae, non debet uno die ieiunare et altero crapulare, quia hoc est ascendere et descendere, sed moderate refici, etc.

3° Probatur exemplis sanctorum, qui omnes summo desiderio laborandi tenebantur, ut patet in apostolis, martyribus, confessoribus, quorum certamina cum nostris comparata, nimis excedunt. Et hic nota quod omnes sancti vel sunt martyres, vel confessores. Nam etsi alii sint pontifices, alii reges, alii doctores, alii praesules terrae, etc., tamen semper additur in canonizatione et in calendario titulus martyris vel confessoris.

Porro confessor dicebatur, ut constat epist. 9 et 90 Cypriani, qui coram persecutore confitebatur Christum, etiamsi tormenta et mors imminerent. Post illa tempora, quia cessavit persecutio fidei, dicuntur confessores qui factis Christum confitentur, non obstante quolibet timore vel periculo. Et quia non est periculum vel timor in confitenda Christi gloria et regno, sed in confitenda cruce, ignominia, paupertate; ideo illi sunt veri confessores, qui factis confitentur crucem esse rem honorificam et gloriosam, id est qui amplectuntur crucem, paupertatem, ignominiam ut magnum honorem et ideo ista non fugiunt, sed quaerunt. Et hoc est gloriari in cruce, non iactare mortificationem, sed accipere libenter ac si esset gloria, ut revera est coram Deo et angelis.

Quare omnes sancti, quia fuerunt veri confessores, quaesierunt crucem, et si non inveniebant ab aliis, ipsi se macera-

bant. Notat Augustinus cur interdum psalmus dicat : *Tribulatio et angustia invenerunt me* (Psalm. 118, 143), aliquando : *Tribulationem et dolorem inveni* (Psalm. 114, 3), quia aliqui inviti patiuntur, aliqui libenter. Illi quaeruntur et inveniuntur a tribulatione ; isti quaerunt et inveniunt tribulationem. Beatus Laurentius Iustinianus, cum se tantopere macerare prohiberetur a superioribus, dixit se obediturum, sed tamen impossibile esse praecludere viam patiendi ei, qui cupiat pati pro Christo, et reddit rationem cur tam multum cuperet pati, quia, « legens Vitas sanctorum, invenio, inquit, omnes vel per sanguinis effusionem, vel per carnis macerationem intrasse in regnum caelorum ». Et vere sic est. Nam non solum eremitae et coenobitae incredibiles poenitentias faciebant, ut patet ex Palladio, Theodoreto et aliis, sed etiam alii, qui videntur civiliorem vitam duxisse. Nam sanctus Ambrosius quotidie ieiunabat, praeter dies dominicos et festivos. S. Augustinus frequentissime ieiunabat, ut ipse dixit in lib. 10. Confess., cap. 31. S. Ludovicus, rex Franciae, gerebat cilicium, serviebat pauperibus, ieiunabat frequenter et singulis diebus veneris ita ieiunabat, ut neque pisces, neque poma comederet. S. Stephanus, rex Ungariae, assiduus erat in vigiliis, orationibus, servitio pauperum et similibus. Pone exemplum Patris Francisci Borgiae, qui quaesivit dux omnem poenitentiam, etc.

Haec autem dixi, non ut faciam vos eremitas vel onerare velim paenitentiis, sed ut cognoscamus nos non nimium laborare, et non conqueramur de nimio labore, et non timeamus mala praesentia, etc.

DE LIBERTATE SPIRITUS

Exhortatio quarta

QUAE EST DE PROVIDENTIA

Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos (Io. 8, 32).

Veritas efficacissima ad nos liberandos ab omni sollicitudine est quod Deus habet providentiam nostri tam particularem et diligentem, ut tutissime dormire possimus. Id probatur, quia Deus scit omnia, quae nobis nocere vel prodesse possunt, potest removere omnia noxia, et vult id facere. Quod sciat patet, quia est infinita sapientia. *Domine, tu omnia nosti,* inquit Petrus (Io. 21, 17). Item Dominus ait : *Scit pater vester, quia his omnibus indigetis* (Matth. 6, 32). Item : *Capilli vestri omnes numerati sunt* (Matth. 10, 30). Quod possit patet, quia est omnipotens et omnia transeunt per manus eius. Non enim cadit passer in terram sine patre nostro. Itaque nihil fit, nisi ipse faciat vel fieri permittat. Quod velit, testatur ipse : *Ne solliciti sitis quid manducetis vel quo induamini* (Matth. 6, 25); et addit rationes, quia scit pater noster, quia his indigemus, quia haec gentes inquirunt, quia Deus pascit aves caeli et vestit lilia agri.

Dices : Haec promissio est de cibo et vestibus. Sed ego sollicitus sum de sanitate, de honore, de scientia, de aliis multis. — At promissio Christi est generalis, quamvis exemplum posuerit in cibo et vestibus, quae magis sollicite ab omnibus quaeruntur. Unde ratio illa est generalis : *Scit pater quia his omnibus indigetis.* Unde alibi dixit : *Capillus de capite*

vestro non peribit (Luc. 21, 18). Unde D. Paulus tam saepe dicit : *Nihil solliciti sitis* (Phil. 4, 6) ; et : *Volo vos sine sollicitudine esse* (1 Cor. 7, 32). Et D. Petrus : *Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis* (1 Petr. 5, 7). Nota : *omnem sollicitudinem.* Exponit enim Apostolus illud psalmi : *Iacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet* (Is. 54, 23). Docet illud *curam tuam* debere intelligi de omni cura. Et illud *te enutriet* debere intelligi de omni provisione, et non solum de alimento. Sicut etiam vulgo nutrix dicitur a nutriendo, et tamen habet omnem curam infantuli : ipsum enim vestit, spoliat, dormire facit, docet ambulare, consolatur, etc. Nota etiam metaphoram iactandi et proiciendi. Significat enim excutiendam esse a se et procul abiciendam tamquam rem molestam et noxiam, quomodo excutimus pulverem vel araneam, aut aliquid aliud sordidum vel venenatum, si in nos incidat ; proicimus enim quanto longius possumus. Certe si christiani sumus, si Christo, si Davidi, si Petro, si Paulo, imo si Spiritui sancto credimus, possumus et debemus omnem sollicitudinem deponere, et liberati a curis mordacibus, suavissima pace frui.

2° Probatur ratione ex parte Dei. Nam si quis haberet patrem carnalem, qui posset et sciret defendere ab omni malo, sine dubio in eius providentia acquiesceret ; non enim de voluntate eius dubitare posset. At Deus est verissimus pater noster, ut in comparatione eius nulli alii patres dici possent. *Et patrem nolite vocare vobis super terram* (Matth. 23, 9). Deus enim fecit nos omnibus modis quibus aliquid fieri potest. Omnia enim vel fiunt ex nihilo, et dicitur creatio ; vel ex aliena substantia, et dicitur factio ; vel ex propria substantia, et dicitur generatio. Deus creavit nos quoad animam ; fecit more figuli quoad corpus ; genuit quoad iustificationem ; nam de Spiritu suo dedit nobis, ut dicit Ioannes. Si diligit opus suum qui fecit et eius curam habet ; si diligit pater filium, si creator creaturam ; quomodo non nos diliget Deus et curam nostram geret, qui fecit, creavit et genuit ? Et hoc forte significavit Moses, cum ait : *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit*

te, et fecit, et creavit te? (Deut. 32, 6). Nam *possedit* iuxta hebraicum refertur ad generationem, iuxta illud : *Possedi hominem per Deum* (Gen. 4, 1).

patiente : prima in tolerare il male, secondo in aspettare il bene. Ma in questo luogo non si dice patiente nel male, che questo lo dirà più a basso, *omnia suffert;* ma è patiente in aspettare il bene. Onde in greco dice : μακροθυμεῖ. Cioè, che chi ha la charità ha un' animo grande, che non si degna di cercare beni piccoli, ma vuol grandi cose; et perchè non le puo haver qua, ha patienza et aspetta con longanimità i beni futuri : *Qui crediderit, non festinet,* dice Isaia (28, 16). Et S. Paulo : *Exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei* (Tit. 2, 13). Così vediamo nelle corti che gli huomini vili si contentano del salario ordinario; ma i gentil' huomini honorati non vogliano salario in presente, ma aspettano col tempo qualche grande dignità in ricompenza. Così i santi padri antichi che erano prudenti et magnanimi, non volsero far palazzi qua, ma, come dice S. Paulo agli Hebrei, habitavano ne' tabernaculi et nelle cappanne : *Exspectabant enim civitatem, cuius artifex et conditor Deus* (Hebr. 11, 10). Et di Santo Simeone si dice che *exspectabat consolationem Israel* (Luc. 2, 25). Et di questo parla l'evangelio di hoggi, quando dice che S. Gio. Battista era venuto *ut convertat corda patrum in filios et incredulos ad prudentiam iustorum* (Luc. 1, 17). Cioè dovea S. Giov. con le sue parole et essempii dare il cuore de padri à figlioli, cioè fare che i figliuoli havessero un' animo grande, un cuore dispregiatore delle cose temporali et amatore delle future, come hebbero i santi padri. Et il medesimo dice con altre parole in quel che sequita : *et incredulos ad prudentiam iustorum.* Cioè faria S. Gio. che i padri et i figlioli havessero un medesimo cuore, et questo lo faria non dando à padri il cuore dei figlioli, ma dando à figlioli il cuore dei padri; et così tirando i figlioli increduli, ò come dice il greco, inobedienti et tristi alla prudenza de' padri, che erano giusti. Et quale era la prudenza de padri? Già l'habbiamo detto, di non si fermare qua, ma estendere il desiderio et l'amore alle cose future. Et quando Dio gli prometteva la terra di promissione abondante di mele et latte, la prudenza de padri santi intendeva che quella era una figura, et che la vera terra di

promissione era il paradiso. Et però Abramo, Isac et Jacob non fecero palazzi, ma volsero far vita di pellegrini. Et di questo parla S. Paulo ad Hebr. 10, dove dice : *Patientia vobis necessaria est.* Perchè? *Modicum aliquantulumque qui venturus est, veniet et non tardabit. Iustus autem meus ex fide vivit.* Cioè il giusto si mantiene della speranza di quei beni, che crede hanno à venire. Hor questo è un gran segno per conoscere se l'huomo ha charità.

Il 2^do^ grado è : *benigna est.* Chi ha la charità è benigno, cortese, liberale, non sa negare niente. Così vediamo nell' amore humano; così lo dice la Cantica (8, 7) : *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Et S. Giov. dice : *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei in illo est* (I Io. 3, 17)?

Circa secundum gradum nota ex Bonaventura, che S. Francesco era tanto pieno di benignità, che quando gli era chiesta alcuna cosa per amor di Dio, non si poteva tener di non darla, ancora che gli fusse necessaria. Et per non contrariare alla povertà, la quale non havendo dominio sopra niente, non par che possa dar niente; quando gli era data alcuna cosa, sempre domandava licenza à chi gliela dava di poterla dare à chi ne havesse più di bisogno, et così la teneva come in presto, fin che gli occorreva à chi darla. Et quando la dava poi, non diceva darla, ma renderla. Si raccontano molti essempii di questo, ma uno fu, che come è scritto nel (1) . . . . . .

Il terzo grado è : *non aemulatur.* Chi ha charità, non può essere invidioso. Perchè tutta l'invidia nasce in questo mondo da questo, che uno impedisce l'altro dal conseguire la cosa amata. Et di questo ne è causa l'amare cose piccole, che non si possono havere da molti. Si che perchè molti amano una istessa cosa, et un' impedisce l'altro, di qui nasce che chi non l'ha, porta invidia a quello che l'ha; et chi ne ha me-

(1) *Sic apud ipsum auctorem imperfecta sistit sententia in infimo folio; subsequens folium vacat.*

no, porta invidia à chi ne ha più. Hora la charità spianta questa mala herba, et fa germinare la contraria, perchè chi ama veramente Iddio, ha messo il suo cuore in una cosa, dalla quale nessuno lo puo impedire, perchè Dio è un bene infinito; et però se bene sono tanti angeli et santi che lo godono, nondimeno non impedisce niente la lor gloria che io non possa haverlo tutto, anzi mi aiuta. Se in questo modo la robba di uno non impedisse l'altro a diventar ricco, ma più tosto l'aiutasse, saria impossibile che un' havesse invidia all' altro. Hor questo fa la charità, et però *non aemulatur*.

4° frutto è : *non agit perperam*. Et se bene questa parola è esposta in mille modi, perchè il verbo greco περπερεύεται non è usato dagli antichi, nondimeno tutte le espositioni sono vere, et nascono da una. S. Chrisostomo vuole che questo vitio sia una certa leggierezza, inconstanza, temerità che si trova nell' amor humano et mundano. Vediamo che uno hoggi ama una cosa, et domani l'ha in odio, et ne ama un' altra. Et la causa è perchè le cose create sono tutte defettuose; et così se si guardano in quanto al bene che hanno, si amano; se di poi si metta gli ochi al difetto che hanno, si odiano, et così vediamo ogni giorno cambiarsi l'amicitie, et entrare l'odio dove era l'amore. Questo non ha la charità, ma è un' amor constante, stabile, saldo : perchè la cosa amata è tutta buona, senza mescolanza di male, talchè si uno che ama Iddio, di poi gli diventa nemico, non è per difetto dell' aver ò della cosa amata, ma per proprio vitio del libero arbitrio.

S. Basilio in una sua questione, et Clemente Alexandrino nel 3° libro del pedagogo al primo cap°, vogliono che questo περπερεύεται sia un delettarsi di superfluità et vanità in veste, cibi, stanze et simil cose. Et questo similmente è proprio dell' amore mondano, perchè l'amor mondano è un amor guasto, ammalato. Et si come gl' ammalati, che hanno guasto il gusto, non si dilettano di cibi buoni et di sustanza, ma di frascarie, così, etc. Ma la charità, che è un' amor sano et puro, si diletta del sommo bene, et dell' altre cose non si cura. Anzi

considerando che le richezze et delitie sono impedimento per acquistar' Iddio, poi che Christo ha detto : *Quam difficile divites intrare in regnum caelorum!* (cf. Matth. 19, 24), et in un altro luogo dice che le richezze et delitie sono spine che affogano il buon seme, si sforza di pigliar il meno che può, et però veramente περπερεύεται. Così S. Francesco tanta invidia haveva à più poveri di se, quanta ne hanno gli huomini del mondo à più ricchi di se.

Altri vogliono che questo sia un vitio di parole, cioè di quelli che si vanagloriano et si vantano, parlano molto di se stessi; il che nasce da un grande amore di se stesso. Et però la vera charità, che è contraria all' amor proprio, non si vanta, nè si gloria di se, ma solo di Dio. Poichè chiaramente vede che Iddio non solo è sommo bene, ma anco che tutto il bene vien da lui et che le creature da se stesse non hanno niente.

Finalmente altri hanno detto che la parola greca è presa dalla latina; et che *non agit perperam* bisogna esporlo secondo che i latini usano la parola *perperam,* non secondo che l'usano i greci. Che vuol dire *non agit perperam* in latino? Vuol dire : non fa le cose al traverso, ma le fa dritte et à punto come hanno da essere. Gl' huomini senza charità sono fatti al traverso, et hanno il capo in giu et i piedi in su, come gl' alberi. Ma perchè la maggior parte del mundo va così, gli pare à loro che vanno dritti. Anzi, come veggono uno che si rivolta et che calpesta la terra co' piedi et guarda con gl' ochi in su, lo stimano per matto et traverso. Ma quando poi Iddio gl' illumina, all' hora si accorgano che erano in errore, et dicono con quel cieco illuminato : *Video homines sicut arbores ambulantes* (cf. Marc. 8, 24).

Hora essendo gl' huomini istessi roversciati, che maraviglia è se fanno le cose al roverscio? Et che maggior traverso che, essendo creati per viver sempre felici con Dio, far' ogni sforzo per patire, andare à patire in eterno con i demonij? Et dovendo et potendo cercare il sommo bene, essi durano fatighe intolerabili in cercar beni piccoli et temporali, et final-

mente non trovano quel che cercano, et perdano il tempo et l'occasione di cercar quel che doverebbono. Ma la charità di Dio è impossibile che faccia le opere storte, poi che chi ha charità, ha la regola nel cuore; et chi opera secondo la regola, non puo errare.

Il 5° frutto è : *non inflatur*. Chi ha charità, non puo esser gonfio di superbia. La superbia si dichiara per la gonfiezza, perchè un superbo è grande, non di vera grandezza, ma imaginaria; come il pallone pare una gran cosa, ma è pieno di vento; levategli il vento, resta un poco di pelle, che si puo mettere in un pugno. Così il superbo è grande al suo giuditio, et però vuole essere stimato et honorato da tutti, et dispregia gl' altri, perchè guarda se stesso con gli ochiali dell' amor proprio, et gli altri guarda senza ochiali. Ma la charità rompe questi ochiali, toglie via l'amor proprio, et mostra che solo Iddio è grande, et buono, et degno di ogni honore. Et così introduce un' altra superbia buona et santa, perchè la charità è tanto generosa che si sdegua di perdere il tempo in cose vili et basse. Et di questa santa superbia disse fra Giacopone in quel cantico che comincia *Amor di povertade :* « La superbia in cielo sta, et dannase l'humiltà ».

Il sesto frutto è : *non est ambitiosa*. In greco dice οὐκ ἀσχημονεῖ, et vuol dire propriamente, non si transforma in altra figura, non fa cosa indecente, ma sempre conserva la sua forma naturale; come bene espongano S. Basilio in una questione, et Clemente Alessandrino nel 3° del pedagogo al primo capo. Et perchè nessun vitio fa più trasformare uno che l'ambitione, però il nostro interprete ben disse : *non est ambitiosa*. Non si trova al mondo un più grande hipocrita che l'ambitioso, poichè dentro è superbissimo et nondimeno di fuora si mostra humilissimo. Si come la vuolpe tal volta si finge esser morta, et si lascia salir à dosso i corvi, et anco si lascia morsicare da quelli, non perchè si diletti di quel giuoco, ma perchè spera in quel modo di saltar' à dosso al corvo et mangiarselo : così l'ambitioso à tutti si inchina, à tutti fa honore, et se riceve un ribuffo ò una ingiuria, la sopporta

volentieri, non perchè sia veramente humile, ma perchè ha adochiato qualche gran dignità, et vede che non si puo andar senon per via di favori, però contra la sua inchinatione si sforza d'humiliarsi. Et di qui è detta ambitione, perchè non cammina dritto, ma va à torno, come si va per le scale à lumache.

Et perchè chi va à torno, gli si gira il cervello et facilmente casca, per questo tutti gl' ambitiosi diventano come imbriachi, et talmente fuora di se, che fanno cose indegnissime et cascano in mancamenti grandissimi. Et se questo è gran male ne' secolari, quanto più ne' religiosi! Poichè un religioso fa professione di humiltà et di obedienza, et di mettersi in un porto sicuro. Et l'ambitione è opposta totalmente à questa professione, poichè cerca di salire in alto et di comandare, et di pericolare. Et certo quando uno lascia le speranze del mondo, dove poteva con più scusa andar in alto et andare ad honori et dignità veramente illustri negl' ochi di tutto 'l mondo; et poi si mette in religione ad ambire gradi molto inferiori, ma non meno pericolosi, et con più vergogna et infamia; si può dire veramente che è impazzito, et ben saria legarlo come furioso, finchè gli esca di testa quella frenesia. Di qui è che tutti i Santi, perchè hebbero cervello, con tanto studio fuggirno ò lasciorno le prelature. Che non fecero S. Ambrosio, S. Agostino, S. Basilio, S. Chrisostomo, S. Bernardo, S. Bernardino, per non esser vescovi? Che non fece S. Gregorio, per non esser papa? Et nelle religioni S. Francesco lasciò di esser generale, S. Tommaso pregò Iddio che non permettesse gli dessero prelatura nissuna. Il P. Ignatio quanta resistenza fece per non esser generale? Et poichè fu, quanto presto il renuntiò? Et se bene fu costretto da i suoi figlioli a ripigliarlo, nondimeno si vidde chiaro quel che lui giudicava delle prelature. Hora se huomini sì savii et santi stimorno i prelati esser degni di compassione, non d'invidia, et fuggirono con tanto studio le prelature, come è possibile che habbia cervello uno che le cerca? Oltre di tanti essempi, ci è la ragione espressa, perchè se vi fusse dui vie di guadagnar

cento mila scudi, una pericolosa andando per mare nell' Indie con pericolo di tempeste et di corsari, l'altra secura stando in casa sua, chi non giudicaria pazzo quello che elegesse la prima? Hora lo stato basso è più securo che non è lo stato alto : et quanto al guadagno sono equali, perchè questo più guadagna, che fa il suo offitio con più charità. Et questo che dico di ambire prelature, si può dire anco de' coadiutori, che desiderano esser scholari et sacerdoti : i quali havendo un stato securissimo et così utile quanto al meritare, quanto l'altro, sono veramente pazzi, si desiderano mutarlo. Gran cosa dunque è la charità de Dio, poichè sradica un vitio così grande, et fa nascere la virtù contraria, che è l'humiltà. Perchè uno che ama veramente Iddio, non fa stima di nissuna cosa, che sia fuora di Dio, et così non cerca honori nè dignità in questa vita; ma per il contrario desidera ogni viltà et bassezza, se sia utile ò necessaria per acquistarsi più l'amor di Dio.

Et di qui nasce un' altra esposìtione di questo luogo, et è di S. Chrisostomo. Dice S. Chrisostomo che quello οὐκ ἀσχημονεῖ vuol dire : non si schifa, ò non si vergogna di niente, non gli pare nissuna cosa indegente ò indegna di se, purchè con quella faccia piacer al suo amato. Perchè, come dice S. Giovanni, *charitas foras mittit timorem* (I Io. 4, 18), cioè il timore humano, la paura della vergogna et dell' infamia, che molti ritira dal bene fare. Et è questa verissima proprietà dell' amore. S. Francesco, quando era secolare, haveva grandissimo horrore di vedere i leprosi, et tanto si dilettava d'andare polito, che gli saria parso una morte toccar la mano à un leproso, ò conversare con i poveri et stracciati. Ma subbito che comminciò ad amare Iddio, et che Iddio gli disse che bisognava comminciar a vincere se stesso, non si vergognò più di stracci, nè più hebbe in horrore la lepra.

Il N. P. Ignatio, quando era soldato, che horrore pensiamo che havesse alla bassezza et mortificatione? Et nondimeno, quando si impadronì del suo cuore quella charità che non è schifa, non hebbe vergogna nella sua istessa patria, negli ochi della sua illustre casata, vivere nello spidale, andar men-

dicando il vitto, insegnar a fanciulli la dottrina. Il medesimo si potria dire di molti altri, et, come nota Chrisostomo, non è maravaglia se gl' huomini innamorati di Dio non stimano cosa nissuna indecente per amor di Dio, poichè l'istesso Iddio per amor dell' huomo non stimò indecente farsi povero, vile, abietto, et finalmente lasciarsi giustitiar come malfattore.

DE CHARITATE

Exhortatio nona

Il 7° frutto è : *Non quaerit quae sua sunt,* cioè la charità non è proprietaria, *amicorum omnia communia.* La charità di sua natura è communicativa, et non puo patir di star bene sola. Di qui Mosè diceva a Dio : *Domine, si ignoscis, ignosce populo; sin autem, dele me de libro vitae* (cf. Exod. 32, 32). Et S. Paulo desiderava esser anathema da Christo per la salute degli altri. Et così chi ha vera charità, desidera di far parte ad ogni uno del suo bene. Nè puo esser senza mancamento di perfetta charità, quando vediamo alcuni che non si scomodariano un punto per far bene agli altri. Perchè *charitas non quaerit quae sua sunt.*

Et di qui nasce poi l'ottavo effetto che è : *non irritatur.* La charità non ha fiele, non si sa scorucciar, nè fare guerra, ma gode sempre d'una dolcissima pace. Et la causa è questa, perchè la guerra nasce perchè ci è tolto il bene, che amiamo, ò ci è fatto il male, che habbiamo in odio. Quanto al bene, non è possibile che chi ha charità si scorucci, perchè ogni bene ò è creato, ò increato. Il bene increato, nessuno gli puo torre ne sminuir, perchè è infinito. Non si vidde mai far contesa per l'acqua del mare, ma sì bene per i capi di acqua che si tirano per le campagne. Del bene creato non sene cura, perchè lo stima quanto pesa, cioè da niente. Et già ha fatto rinuntia di *ogni cosa.*

. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Est (1) igitur 5ª [proprietas] bene facere, et sexta male

(1) *His verbis, absque titulo, incipit folium.*

pati, quas posuit Apostolus 1 Cor. 13 initio illius catalogi laudum charitatis, cum ait : *Charitas benigna est, patiens est.* Istae duae sunt praecipuae et radices aliarum omnium.

Dicamus de prima. Quod bene facere proximo propter Deum sit signum perfectae charitatis erga Deum, ostendo auctoritate et ratione. Dominus saepe repetit : *Qui diligit me, sermonem meum servabit. Et qui non diligit me, sermonem meum non servat* (Io. 14, 23, 24), etc. Et Ioannes in epist. : *Qui servat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est* (I Io. 2, 5). Expende hunc locum. Porro verbum eius est praeceptum fraterni amoris. *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem* (Io. 15, 12). Et idem saepe repetit Ioannes in tribus epistolis. Et Paulus, Rom. 13 : *Qui diligit proximum legem implevit.* Oportet autem *diligere non verbo et lingua, sed opere et veritate* (I Io. 3, 18), id est oportet bene facere proximo, et bene facere ex amore illius, non ex amore proprio, quia spero aliquid ab eo, etc.

Idem patet ratione. Nam qui amat, ut supra dixi, nihil magis cupit quam amari; et quia scit amorem provocari ex beneficiis, ideo non potest satiari benefaciendo, ita ut dicat sponsa in Cantico : *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam* (Cant. 8, 7). Et Gregorius : *Amor operatur magna, si est; si autem operari nequit, amor non est.* Et quia Deus non eget rebus nostris, ideo declaravit se velle recipere beneficia in creaturis suis, et maxime in imaginibus suis vivis et immortalibus, etc. Ideo qui amat, non negligit occasionem benefaciendi proximis, et qui perfecte amat, quaerit omnem occasionem, et nihil est ei grave vel durum, modo benefaciat proximo, et praesertim animabus, pro quibus Christus mortuus est.

S. Paulus, qui vere amabat, non solum circuibat orbem ut praedicaret, sed etiam manibus laborabat ne gravaret populos. 2 Cor. 12 : *Ego ipse impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.* Et S. Paulinus datis omnibus rebus, dedit etiam se pro redemptione captivi. Hinc dicitur *fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio* (Cant. 8, 6); quia amor

aggreditur opera quantumvis ardua, nec est in eius lexico verbum : « non possum », sed « omnia possum ». Sicut mors omnes aggreditur, etiam iuvenes, robustos, sanos, reges, armatos, et ipsos etiam leones et tauros. Et praeterea amor numquam fatigatur, et ideo *dura est sicut infernus aemulatio,* quia infernus numquam dicit *sufficit,* sive sumatur infernus pro sepulcro, sive pro loco animarum. Nam singulis centum annis recipit sepulcrum omnia corpora, quae sunt in mundo, et recipit verus infernus maximam partem animarum totius mundi, et tamen numquam fatigatur nec satiatur. Et mirum videtur quod amor non fatigetur ardua operandi. Nam qui currunt, solent fatigari; et qui nolunt fatigari, lente incedunt, etc. Sed amor est res mirabilis et caelestis. Nam etiam caeli velocissime currendo non fatigantur. Hinc, quisque cognoscet an perfecte diligat Deum, si propter ipsum caveat contristare fratrem, vel proximum quemcumque, si cupiat magno desiderio iuvare animas, si quaerat occasiones instruendi, hortandi, retrahendi a peccatis, orandi pro ipsis, etc., si numquam dicat: non possum, et numquam fatigetur. Certe Christus ipse, qui noster dux est in omnibus, totas fere noctes orabat pro hominibus, et totos dies consumebat in illis docendis et curandis. Non enim legimus aliam eius occupationem in tota vita ipsius.

6ª proprietas est patientia. Et haec est quasi demonstratio potissima charitatis perfectae. *Patientia,* inquit Iacobus (1, 4), *opus perfectum habet.* Et Ioannes : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (I Io. 4, 18), quia nimirum qui perfecte amat, paratus est omnia perferre pro dilecto, et ideo nihil timet. Et sponsus : *Aquae multae non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam* (Cant. 8, 7). Mirabilis flamma debet esse illa, quam ingentia flumina extinguere non possunt. Aqua est contraria igni et solet illum extinguere ; sic offensa est contraria amicitiae, ut videmus cotidie amicos ex offensa reddi saepe inimicissimos. At qui est perfectus in amore, omnia tolerat a dilecto, quia non potest credere ab illo sibi aliquid mali venire posse; et quando etiam id crederet, tanti facit gratiam eius, ut non audeat ullo modo queri. Exemplum de libro 4 Esdrae,

de rege qui patiebatur se caedi ab amasia. Praeterea qui amat valde, tolerat omnia pro amato, quia cupit ostendere suum amorem, et scit ostendi magis factis quam verbis, et magis patiendo quam faciendo. Quae omnia in Deo maxime locum habent. Nam sancti sciunt, omnia omnino quae patiuntur, non solum se pati propter Deum, sed etiam a Deo, quia omnia transeunt per manus eius, et si ipse nollet, nihil mali ad nos veniret. Sancti igitur qui Dei amore capti sunt, omnia mala libentissime tolerant, quia non solum credunt, sed sciunt sibi nocere non posse, quia veniunt a Deo. Item tolerant libentissime, quia incredibiliter timent perdere gratiam eius, et hic timor omnes alios timores expellit. Item cupiunt ostendere Deo amorem, et ideo libentissime patiuntur, ut hoc signo ostendant. Accedit etiam quod cupiunt similes esse dilecto, et sciunt dilectum in hoc mundo extrema passum.

Exemplum martyrum, ut S. Laurentii, cuius hodie est vigilia. Item exempla confessorum. Unde S. Franciscus dicebat, quod Deus non potest dare maius donum amicis suis, quam ut libenter patiantur multa in hoc mundo, quia hoc est unum ex potentissimis signis gratiae, immo etiam verae perfectionis. Ex quo tamen signo claro cognoscitur, paucissimos esse perfectos, quia impatientia prae omnibus vitiis regnat ubique. Certe in mundo pro minima offensa prorumpitur in blasphemias, vel venitur ad arma. Inter religiosos quoque nullum est vitium communius, quia non habetur turpe, ut de eo erubescatur, ut sunt vitia carnis, gula, furtum, etc.; sed videtur vitium nobilium. Et ideo quia oritur ex superbia, est apud Deum maxime odibile. Unde Dominus dicit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. 11, 29). Nam ex vera humilitate oritur mansuetudo, sicut ex superbia oritur impatientia. Et vere impatientia non est nobilis viri, sed delicati et debilis stomachi, qui nihil durum potest concoquere. Sed ubi quis roboravit stomachum vino charitatis, etiam ferrum digerere potest. Ideo Paulus ait : *Supportantes invicem in charitate* (Ephes. 4, 2).

Septima proprietas est in verbis. Nam *ex abundantia cordis*

os loquitur (Matth. 12, 34). Et sicut *ubi est thesaurus, ibi est cor* (Matth. 6, 21), sic etiam ubi est cor, ibi est lingua. Et experientia hoc docet. Nam qui amat, saepissime loquitur de re amata. Et si cogatur de aliis rebus loqui, tamen, si minima videtur occasio, statim recurrit ad rem amatam. Videmus studiosos philosophiae totas fere recreationes consumere disputando. Hinc S. Paulus, verus et ardentissimus Christi amator, in suis epistolis, quicquid tractet, sive dogmata, sive moralia, sive etiam externa, ut de famulo commendando, ubique interserit nomen amati. Praeterea quia charitas totum hominem bene ordinat erga Deum et proximum, ideo eadem charitas ordinat imprimis et dirigit linguam, quae est instrumentum universale totius hominis. Et ideo homo perfectus laudat sine adulatione, reprehendit sine amaritudine, non detrahit, non susurrat, non mordet. Denique non offendit verbo; et, ut ait S. Jacobus (3, 2), *qui non offendit verbo, hic perfectus est vir*. Et contra, qui offendit verbo, imperfectus est. Hinc unusquisque inspiciat seipsum, et videat quantum distet a perfectione.

Potest addi 8ª proprietas, quia nunc est festum B. Mariae, devotio erga B. Virginem. Nam omnes viri perfecti fuerunt devotissimi B. Virginis, ut patet de B. Efrem, inter Graecos, et B. Bernardo, Dominico, Francisco, Bernardino, etc. Ratio autem est multiplex, prima, quia ipsa est idea perfectionis in pura creatura. Quod cognoscitur ex praemio. Nam gloria respondet charitati. Item ex eo quod cui minus dimittitur, minus diligit. Et ipsi fuit dimissum plus quam omnibus aliis, et modo excellentissimo, quia fuit per gratiam impedita, ne ullum peccatum faceret. Item ex eo quod fuit electa ut esset digna mater Dei, etc. Praeterea, secundo, quia ipsa est potentissima advocata, cum sit proxima Deo; exemplum de eo qui in curia multum potest. Tertio quia experientia docet, quod ipsa est adeo clemens, ut etiam pro minima devotione aliquantum summa retribuat beneficia, etc. . . . . (1).

(1) *Sic desinit folium, videturque excidisse folium subsequens.*

DE COGNITIONE DEI

Exhortatio prima

(Anno 1593, Novembris)

De cognitione Dei tractare incipiam, primo quia Scriptura passim hortatur ut quaeramus Deum. *Quaerite Deum, et vivet anima vestra.* Ps. 33. *Quaerite faciem eius semper.* Ps. 104. *Quaerite Dominum, dum inveniri potest.* Isai. 55. *Bonus Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum* (Thren. 3, 25). *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Ps. 90.

2° Quia sancti id fecerunt. S. Augustinus in Confess. lib. X, cap. 40, dicit se toto tempore, quo non cogebatur intendere negotiis, vacare solitum contemplationi, qua conferret Deum cum creaturis, et videret Deum esse rem altiorem et meliorem omnibus. Et in lib. 19 de Civit., cap. 19, monet vacandum esse contemplationi, et solum propter necessitatem proximi vacandum actioni. *Otium,* inquit, *sanctum quaerit charitas veritatis; negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur ista suavitas, et opprimat ista necessitas.* Explica exemplo eius, qui fert onus, et non comedit, nec dormit. Idem monet Gregorius in Pastorali, ubi dicit debere esse pastorem contemplatione suspensum; et Bernardus, qui in lib. primo de consideratione monet aliter perveniri ad cor durum. S. Franciscus integras noctes consumebat cogitando Dei magnitudinem. S. Bonaventura fecit *Itinerarium mentis in Deum,* etc.

3° Quia hoc utile est ad excitandum amorem et timorem

Dei, item ad liberandum cor ab amore et timore rerum temporalium, denique ad reverentiam et devotionem mysteriorum Christi, quae toto anno celebramus, ut Incarnationis, Nativitatis, etc., et praecipue sacri altaris.

4° Ut aliqui rudiores habeant materiam meditandi. Ideo omnia reduci possunt ad illa quattuor, quae ponuntur in epist. ad Ephes. (3, 18) : *Ut possitis comprehendere quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum.* Applicavi haec nuper gloriae coelesti et poenis inferni (1); alias Passioni Christi. Nunc divinitati applicabo, postea attributis.

Magnitudo ergo divinae essentiae cognoscitur ex eo quod est infinita in latitudine, quia immensa; in longitudine, quia aeterna; in sublimitate, quia nobilissima; in profunditate, quia simplicissima et incomprehensibilis.

I. Est immensa multis modis. 1° continet in se omnes perfectiones creaturarum, quae sunt et quae possunt esse, et adhuc plures in infinitum. Ut si quis haberet unam rem in cubiculo, quae contineret obiecta bona omnium sensuum, ita ut non cuperet exire ad aliquid videndum, vel audiendum, vel odorandum, vel gustandum, vel tangendum. Et hoc non quia nausearet, ut aegroti, sed quia vere haberet omnia illa oblectamenta. Quod si eadem res haberet tantam copiam omnium opum, quantam potest avarissimus desiderare, ita ut non vellet egredi ad aliquid lucrandum; item haberet omnes dignitates, quas ambitiosissimus homo desiderare potest; item haberet omnia bona, quae angeli desiderare possunt; nam angeli, qui plura et maiora norunt, plura et maiora desiderant; magna esset res illa, sed adhuc longe inferior Deo, qui habet in se tot bona, quot ab infinito appetitu desiderari possunt. Hinc dicitur ab apostolo, quod in patria Deus erit *omnia in omnibus* (I Cor. 15, 28), quia sancti in caelo non habent cibum, potum, vestes, pecunias, tectum, etc.; et tamen nulla re carent, quia Deus est illis omnia. In hoc etiam mundo Deus est omnia illis, qui sciunt intrare cubiculum

(1) *Videsis supra, pag. 106-113.*

Dei, et cum illo uniri, eumque amplecti. Unde B. Franciscus dicebat : *Deus meus et omnia.*

2° Deus est immensus, quia replet omnia loca. *Caelum,* inquit, *et terram ego impleo* (Hier. 23, 24). Et si essent alii mundi, omnes Deus impleret. Nec solum corpora, sed etiam spiritus Deus replet. Itaque, etiamsi quis duceretur in desertum quodcunque, vel in profundum maris, vel extra caelum, non tamen esset solus. Magna hinc oritur consolatio iustis, et timor iniustis.

3° Deus replet omnia, non solum praesentia, sed etiam gloria sua. Pleni sunt caeli et terra gloria eius. *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra; quoniam elevata est magnificentia super caelos* (Psalm. 8, 2). Id est, plena est terra laude Dei, quia etiam usque ad caelum pertingit, et supra caelum. Omnes enim creaturae Deum laudant, et sunt quasi thuribula emittentia incensum Deo. Et quamvis multi blasphement Deum, tamen ipsi quoque laudare coguntur eo modo, quo opus laudat opificem, quia in ipsis quoque lucet mirabiliter potentia, sapientia, bonitas Dei, quae ex malis eorum elicit bona, et ordinat eos iuste ad poenam, vel misericorditer expectat ad poenitentiam. *Multi quidem surdi sunt,* inquit Augustinus, *ad has voces creaturarum, tamen ipsae clamare non cessant, nec desunt aures innumerabilium angelorum et sanctorum, qui eas attendunt.* Ideo Isaiae 6 : Duo seraphim clamant : *Plena est omnis terra gloria eius.* Et David : *Caeli enarrant gloriam Dei.* Ps. 18.

4° Deus omnia replet dominio suo, quia omnia possidet ut sua, et est vere solus ipse absolutus dominus omnium rerum; tum quia solus ipse nulli servit, quia a nullo pendet, tum quia omnia ab illo pendent, et omnia potest mutare, destruere, etc. Non sic domini huius mundi, etc.

II. Longitudo est aeternitas. Deus enim semper fuit et erit, et hoc sine mutatione, et necessario, ita ut nulla ratione possit aliter esse. Et in his distinguitur ab omnibus creaturis. Aliae non semper fuerunt, nec erunt, et semper mutantur. Aliae semper erunt, sed non semper fuerunt, et mutantur

aliquo modo. Denique omnes possunt non esse, si Deus velit. Quare recte dicitur : *Qui solus habet immortalitatem* (I Tim. 6, 16). Hinc sequitur summa securitas Dei, et servorum eius, cum hoc tantum bonum nullo modo deficere possit.

III. Altitudo est excellentia naturae divinae. Nam non solum continet omnia, sed continet in esse altissimo, quomodo nummus aureus continet denarios. Consistit autem haec excellentia in abstractione a materia et potentialitate. Quo enim res est purior, eo est altior, ut etiam videmus in elementis. Porro solus Deus est actus purus, et ideo altissimus, ut angeli non possint tam alte aspicere, nisi per gratiam.

DE COGNITIONE DEI

Exhortatio secunda (1)

2° Dicitur Deus altissimus, quia sedet in altissimo loco. *Caelum mihi sedes est* (cf. Isai. 66, 1). Hinc Lucifer dixit : *Super astra caeli elevabo solium meum, similis ero Altissimo* (Isai. 14, 13, 14). Sedes duo significat, authoritatem iudicis et quietem. *Sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel* (Matth. 19, 28). Itaque dicitur Deus in sempiternis altissimus, quia habet supremam auctoritatem leges ferendi, et iudicandi. Omnes etc. Alii principes alicui legi subsunt, alicui rationem reddere debent, et ab eorum legibus et sententiis appellatur. Solus Deus ita fert leges et iudicat, ut nulli subsit et nullus ab eo appellare possit, etc. Hinc dicitur apud Iacobum (4, 12) : *Unus est legislator et iudex.* Et in psalmo (81, 1) : *In medio autem deos diiudicat,* id est iudices iudicat, qui in Scriptura dicuntur dii. Hic aliquid dicendum de felicitate amicorum Dei. *Nam si Deus justificat, quis est qui condemnet?* (Rom. 8, 33, 34).

3° Dicitur item Altissimus, quia in altis habitat, id est quiescit. *Caelum caeli Domino* (Psalm. 113, 16). *Pater noster, qui es in caelis* (Matth. 6, 9). S. Augustinus per caelos, in quibus Deus sedet, intelligit angelos. In illis enim vere sedet Deus; tum quia facit eos quiescere, cum sint uniti summo bono, nec habeant quod ulterius desiderent, tum quia in illis Deus quasi recreatur, dum familiariter cum illis agit. *Sicut enim* (ut ait Bernardus serm. 23 in Cantica) *rex aliquando discedit a nego-*

(1) *Hic titulus in margine scriptus est.*

tiis regni, in cubiculo cum familiaribus familiariter agit, etc.; ita, etc.

Magna est haec gloria Dei, quod altissimae creaturae illi serviant pro sede. Neque est hoc contra illud Isaiae (66, 2) : *Super quem requiescam, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos?* Nulli enim sunt humiliores, quam summi angeli et beatae animae. Quo enim magis cognoscunt se nihil a se habere, eo magis se humiliant coram Deo, et tremunt timore reverentiali, et subiciunt se Deo, ut sedes sessori.

Est alia altitudo Dei, in quantum est prima causa omnium rerum. Nam Deus est prima causa efficiens, exemplaris et finalis omnium rerum. Deus enim multa facit sine creaturis, sed nihil creaturae sine Deo faciunt. Itaque est causa universalissima, ut a summo angelo usque ad ultimum vermiculum omnia dicant : *Ipse fecit nos* (Psalm. 99, 3). Item est causa exemplaris omnium rerum, quia omnia habent formam, quam habent, quia factae sunt ad exemplar, sive ideam, quae erat in Deo. Denique est finis ultimus et altissimus omnium rerum. Tandem omnia resolvuntur in hoc, quod facta sunt, ut in ipsis resplendeat gloria Dei. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus,* inquit Sapiens, Prov. 16.

IV. Profunditas Dei in eo consistit, quod est Dei essentia intima, recondita, occulta prae omnibus rebus. *Posuit tenebras latibulum suum* (II. Reg. 22, 12). *Vere,* inquit Isaias (45, 15), *tu es Deus absconditus.* S. Augustinus in ps. 26 dicit : quicquid potest cogitari non esse Deum, cum Deus sit melior omni re visibili, imaginabili et cogitabili. Quaesivit S. Augustinus Deum in lib. 10 Confess. c. 6 per omnia exteriora a terra usque ad caelum. Et cum non invenisset, intellexit non esse quaerendum exterius, sed interius. Itaque transivit a corpore ad sensum, et vidit sensum esse tanto meliorem corpore, quanto interiorem; transivit a sensu ad intellectum sive animam intellectivam; et vidit illam esse intimiorem et longe meliorem, quippe quae dat corpori sensum, vitam, speciem, motum, etc. Inde didicit Deum adhuc esse intimiorem et

meliorem, quippe qui dat vitam animae, et est quasi anima animae. Sed hinc apparet incredibilis Dei pulchritudo. Nam cum sit in tam alto profundo secreti et dicatur invisibilis, et non nisi in aenigmate cognoscatur : tamen ita afficit animas, ut ab eis ametur amore flagrantissimo, et propter eum libeat relinquere domum, patrem, matrem, uxorem, agros, vitam ipsam, et vel in solitudinem se abdere, vel exponere se omnibus periculis, etc. Quid igitur fiet, quando videbitur facie ad faciem? Quem amoris ignem accendet? Et quae indicibilis voluptas erit rem tam ardenter amatam secure possidere?

Est 2° alia profunditas maior. Nam illi ipsi qui Deum vident et tangunt, tamen numquam penetrare possunt ad fundum, cum sit incomprehensibilis, nisi ab oculo infinito. Itaque est Deus tamquam fodina infinita auri, quae numquam exhauriretur, etiamsi infinito tempore aurum inde educeretur.

3ª profunditas est simplicitas naturae divinae. Non enim Deus est tantum in superficie magnus, bonus, etc., quomodo sunt statuae deauratae, sed totum quod in ipso est, divinum est, ut statua tota aurea, etc.

4ª est, quod Deus est intra omnia, quia omnia sustentat et portat verbo virtutis suae. Est enim radix, fundamentum omnium rerum, et ipse in nulla re fundatur, quia est fundamentum infinite profundum.

Iam vero ut quis ex his meditationibus proficiat, oportet quaerere ab anima sua, an vere sibi persuadeat esse in mundo verum Deum, tam magnum, bonum, etc.; deinde quaerere an possit ipsa ad hunc Deum accedere, et illi familiaris fieri. Nam si id non possit fieri, non movebunt istae meditationes, sicut non movent ad amorem vel timorem, quae audimus de magnitudine regis Chinae, et similium. Certe autem est nos posse pervenire ad summam cum Deo familiaritatem, maiorem quae sit fratrum, parentum, coniugum, etc. Modus autem facillimus est. Vix enim aliud requiritur, quam ut vere velimus. Id docet totus liber Sapientiae. Nam cum multis verbis explicasset pulchritudinem, magnitudinem, divitias, etc. aeternae Sapientiae, et multis item dixisset se velle ostendere modum

illam acquirendi : tandem nihil dicit, nisi ut desideretur et quaeratur, quia sine dubio invenietur. Nonne igitur stultissimus est, qui tam facile potest invenire summum bonum et non vult; cum parva bona tanto labore quaerantur, et nulla sit certitudo, quod invenientur? Sed in particulari modus inveniendi est ut quis fiat caelum. Nam caelum, ut diximus, est sedes Dei, et ibi Deus quiescit, tum quia quiescere facit, tum quia familiariter agit, etc. Porro ut quis fiat caelum, tria requiruntur : 1° ut sit elevatus a terra, ita ut sit superior vaporibus et exhalationibus, id est amore deliciarum et honorum; 2° ut non turbetur a ventis et tempestatibus. Caelum enim etiamsi nobis videatur aliquando turbatum, tamen non est; 3° ut gratis benefaciat. Solum enim caelum inter creaturas corporales gratis benefacit illuminando, calefaciendo, influendo. Nam terra germinat quidem, sed vult iterum semina. Mare dat flumina, sed iterum recipit. Aer dat pluvias, sed vult vapores. Ignis calefacit, sed consumit ligna, etc. Itaque, ut quis sit caelum, requiritur puritas, patientia, charitas. Sed omnia facile habet, qui serio statuit velle invenire Deum.

DE COGNITIONE DEI

Exhortatio tertia

Filii et servi et amici libenter audiunt laudes et gloriam patris domini vel amici. Sic nos libenter audire debemus sermones de magnitudine Dei, si veri filii familiaresque eius sumus.

Dixi de magnitudine essentiae divinae. Nunc de attributis, quae sunt quattuor praecipua : potentia, sapientia, misericordia et iustitia. Potentia est altitudo, quae est propria principum, qui sunt alii altiores. Sapientia est profunditas, quia penetrat omnia, etiam occultissima. Misericordia est latitudo quia est diffusa per omnia. *Misericordia Domini plena est terra* (Psalm. 32). Iustitia est longitudo, quia est instar virgae ferreae, quae longa est, subtilis, dura : *Virga directionis, virga regni tui.* Ps. 44.

Potentia Dei habet infinitam latitudinem, longitudinem, altitudinem et profunditatem.

I. Latitudo potentiae in eo consistit 1° quod fecit et portat multitudinem innumerabilium rerum. Quis numeret species, nedum individua lapidum, arborum, animantium, stellarum, angelorum? Et tamen omnia a summo angelo usque ad ultimum vermiculum Deus fecit et portat. 2° Deus posset multo plura facere et portare in infinitum, id est numquam tot faciet quin possit plura. 3° Potest omnia facere, quae potest velle. *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit.* Ps. 134. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Luc. 1. Non vult quidem omnia quae potest, sed potest omnia quae vult. Si homo posset omnia quae vellet et intelligeret, certe mirabilis potentiae

esset. At potentior adhuc esset angelus, si posset omnia quae vellet et intelligeret. At sine comparatione potentior est Deus, cum possit quaecumque vult et intelligit, et eius voluntas et intellectus sint infinita. Possumus ergo recte dicere : *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Exod. 15.

II. Longitudo potentiae Dei cognoscitur ex duratione et infatigabilitate Dei. Tanto enim potentia maior est, quanto diutius perseverare potest in operando. Deus autem aeterno tempore portare potest totum mundum. Mirantur aliqui solem tot millibus annorum cucurrisse, et non esse fatigatum. Sed quid mirum cum Deus eum portet? Aliqui mirantur et vix credere possunt damnatos in aeternum flagellandos. Quomodo enim, inquiunt, durare poterunt corpora sub aeternis flagellis? Aut quomodo non fatigabitur manus in aeternum flagellans? Quare Deus est infinitae potentiae, qui et corpora illa sustentabit ut non deficiant, et ipse non fatigabitur in aeternum flagellans. *Quis* igitur *similis tui in fortibus, Domine?* (Exod. 15, 11).

III. Altitudo potentiae divinae cognoscitur ex excellentia rerum, quas fecit. Quae considerari potest 1° in magnitudine rerum. Discurre per terram, aerem, caelum, notando minimam stellam visibilem esse maiorem tota terra; 2° in velocitate, ubi nota solem oriri vel occumbere spatio duorum *Miserere,* ut ego observavi. Et tamen crassities solis continet aliquoties crassitiem terrae ac per hoc supra triginta millia milliariorum; 3° in viribus et robore. Discurre per impetum terrae, cum cadit mola; per impetum aquae et pone exempla de moenibus et porta Lovaniensi; per impetum ventorum, aliud exemplum ibidem, ubi ventus transtulit terram ex loco uno, relicta maxima voragine, et transtulit alio, et sepelivit oppidum, etc.; per impetum ignis invadentis pulverem tormentarium, vel fulminum caelestium. Denique angelorum, nunc occidentium primogenita Aegypti (Exod. 12), nunc exercitum Sennacherib, nunc proicientium centum millia Saracenorum in Eufraten, teste Socrate. Quanta igitur est Dei fortitudo, qui omnia ista movet, et ista omnia faciunt ver-

bum eius. Unde dicitur Dominus exercituum, quia res omnes illi militant. *Quis* igitur *similis tui in fortibus, Domine?*

IV. Profunditas conspicitur in modo faciendi. Nam 1° facit ex nihilo. Ceteri enim artifices nihil de novo faciunt, sed coniungunt vel disiungunt res factas; 2° facit sine socio; 3° sine instrumento; 4° sine accidente; 5° sine loco et sine tempore; 6° perfectissime. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius* (Psalm. 111, 2). *Quis* igitur *similis tui in fortibus, Domine?*

Ex hac meditatione collige 1° timorem pro peccatoribus. Quis enim non timeret vehementissime, si videret sibi in lato campo occurrere taurum, aut leonem, aut etiam bubalum ferocientem, a quo non posset ullo modo evadere, cum videat se vinci robore et velocitate? Quanto magis sudaret sudorem sanguineum, si quis intelligeret se iratum habere Deum, cui nihil resistere potest? 2° fiduciam pro iustis. Quid enim timeat, qui habet amicum omnipotentem? 3° stuporem magnitudinis amoris et bonitatis Dei, qui cum sit tam potens, excelsus, magnus, etc., tamen ad nos descendit tam humiliter, ut in stabulo nasci voluerit. Miratur David quod Deus meminerit hominis. *Quid est homo, quia memor es eius?* (Psalm. 8, 5). Exemplum de rege cogitante et loquente de famulo stabuli. Item miratur quod voluerit innotescere homini. *Quid est homo, quia innotuisti ei?* (Psalm. 143, 3). Exemplum de rege narrante suam progeniem famulo, etc. Item miratur, quod visitaverit eum. *Quid est homo, quia visitas eum?* (Psalm. 8, 5) Visitavit enim nos per legatos, angelos; item per epistolas, id est per Scripturas. At quid diceret, si videret eum exinanitum formam servi accepisse? Exemplum de rege descendente ad stabulum, et induto vestibus stabularii ac exercente illius officium, et stabularium ad cubiculum ducente, et ornante regiis vestibus, et ad mensam suam constituente, etc. Certe omnipotens est Deus, sed etiam est omnipotens amor eius, et si licet dicere, omnipotentior, nam praevaluit in omnipotentem; 4° desiderium paupertatis, humilitatis, etc. Nam cur Dominus in loco publico et abiectissimo

nasci voluit? Ut omnes ad eum ire possent, et ipse haberet occasionem omnes beatificandi. Ideo non conclusit se in domo clausa, sed in publico tugurio, ut nemo excluderetur. Voluit quoque esse pauper, abiectus, patiens frigoris et famis, debilis, simplex, infans denique, id est mutus et infirmissimus, qui in omnibus ab alio dependeret. Non enim possunt omnes qui volunt ascendere ad opes, delicias, honores, imperia, eloquentiam, etc. Sed possunt omnes, qui volunt, descendere ad paupertatem, obedientiam, humilitatem, patientiam, simplicitatem, etc. Multi putant se esse prope stabulum Christi, quia voverunt paupertatem, obedientiam, contemptum mundi, qui tamen longe sunt a stabulo, quia nihil volunt pati, sed quaerunt suas commoditates, etc.; retinent in charta regulas de desiderio rerum viliorum, et quod erunt contenti victu et vestitu pauperibus accommodato : sed in corde non habent, etc.

DE CUSTODIA ET PURITATE CORDIS

Exhortatio prima

(Neapoli in domo probationis, 1595)

Dicam de conservanda cordis puritate : 1° Quia agimus nunc festum Omnium Sanctorum, qui ideo fuerunt sancti, quia pro cordis puritate certarunt usque ad mortem.

2° Quia in evangelio crastino dicitur : *Beati mundi corde* (Matth. 5, 8), etc. Et haec est principalis omnium beatitudinum, quia in hac exprimitur summum bonum, quod in aliis adumbratur.

3° Quia purificatio cordis est exercitium omnium christianorum, maxime religiosorum, maxime novitiorum. Nam novitii sunt in via purgativa, scholares in via illuminativa, professi in via perfectiva.

Dicam duo : 1° quanti referat conservare cor purum.

2° quomodo cor foedetur et mundetur.

Quoad 1^um^. Sex sunt rationes : 1° ex maximo proemio. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hinc enim oritur summa sapientia, charitas, delectatio, potentia, honor, etc.

2° *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (Prov. 4, 23), etc.

3° Quia facile laeditur, difficile curatur.

4° Quia est cubiculum Dei.

5° Quia amor est thesaurus incomparabilis.

6° Quia haec est via ad perfectionem.

7° Ex negligentia innata.

8° Ex diligentia sanctorum.

DE CUSTODIA ET PURITATE CORDIS

Exhortatio secunda

Iam dicendum est, quomodo cor inquinetur et mundetur. Cor accipitur nunc pro intellectu, nunc pro voluntate.

Cor pro intellectu inquinatur 1° erroribus circa Deum, cum aliqui volunt ratione metiri alta Dei. Remedium est fides simplex. *Fide,* inquit, *purificans corda eorum* (Act. 15, 9).

2° Inquinatur erroribus circa agenda, quando prudentia carnis suggerit, ut homo provideat sibi, faciat amicos qui iuvent. Hinc sunt quaedam maximae : *Qui se facit ovem, comeditur a lupo.* Remedium est fides firmissima erga providentiam Dei. *Fide purificans corda eorum.* Unde Christus fecit ut apostoli essent oves, et irent ad lupos, et tamen non fuerunt comestae a lupis, sed ipsae comederunt lupos, etc. Exempla sunt innumera eorum qui toleraverunt, et gloriosiores effecti sunt.

3° Inquinatur intellectus scrupulis qui nascuntur ex modico lumine. Nam qui nihil luminis habent, non habent scrupulos, nec illi qui habent multum luminis, sed illi qui habent parum luminis, ut in nocte. Tunc enim videntur arbores esse ferae vel latrones. Modicitas luminis oritur partim a Deo, qui iustis de causis non illuminat ut posset, partim a diabolo, qui turbat phantasiam, partim a natura melancholica, ubi dominatur atra bilis. Isti enim sunt timidi, suspicaces, etc. Remedium est fides, credere simpliciter confessario, orare Deum cum fiducia, et cogitare res laetas secundum spiritum.

4° Inquinatur curiositate, quae suggerit multa vana de

rebus ad nos non pertinentibus. Remedium fides, qua homo sibi certo persuadeat se esse peregrinum, et res terrenas esse alienas. Hinc enim geret mentem plenam caelestibus meditationibus, ut ille qui dixit : *Conversatio nostra in caelis est* (Philip. 3, 20), et illa quae evangelium Christi semper gerebat in pectore; et S. Bernardus, qui non sciebat, etc.

Jam cor, pro voluntate, inquinatur per affectum ad creaturas, idque quattuor gradibus. Nam aliquando cor immergitur in lutum, ut non videatur. Isti sunt, qui peccant sine remorsu conscientiae, qui nec sciunt se habuisse cor. Aliquando cor cadit in lutum, sed adhuc videtur. Hi sunt, qui vident se inquinatos et adhaerentes luto, et vellent surgere, sed non praevalent. Aliquando cor non cadit in lutum, sed tamen habet aspersum lutum, ut cum quis ambulat per loca lutosa, et adhaeret ei lutum. Hi sunt qui non habent creaturam pro ultimo fine, tamen illi adhaerent, etc. Et hi aliquando ita sunt negligentes ut non advertant et cor suo modo amiserint. Aliqui denique habent cor aspersum luto, sed advertunt et conantur purgare. In hoc statu esse debemus.

Causa hujus inquinationis est voluptas et necessitas, etc.

Remedium pro 1° et 2° gradu est tribulatio, etc. Vide ibi.

Remedium pro 4° gradu est custodia sensuum, praecipue gustus, tactus, visus et auditus.

De gustatu. Prima tentatio superanda est haec. Cassianus in lib. de gastrimargia, exemplum de ludis olympicis. Nam est infima et facit hominem bestiam, et tamen frequentissima in religione, ut patet ex eodem Cassiano. Quia in seculo sunt multae aliae deliciae, in religione haec sola. Ideo, etc.

Pro hac superanda 1° praeceptum Domini : *Ne solliciti sitis quid manducetis* (Matth. 6, 25); et : *Manducate quae apponuntur vobis* (Luc. 10, 8). — 2° praeceptum Augustini haec esse sumenda ut medicamenta. — 3° cogita quam parum lucraris in obtemperando gulae; quam multum perdis in eodem, etc. — 4° Est falsa imaginatio, quod noceant aliqui cibi, quod non poteris vivere, etc. Nam multi peius habent, etc. Exemplum

de emptore, qui parum emit de rebus corrumpendis, multum de his quae durant.

De tactu. 1° Cogita quam parum lucraris et quam multum perdis, ut in tetricando in lecto; — 2° comparative ad pauperiores religiosos et non religiosos; — 3° comparative ad Christum et Sanctos, qui lectos non habebant, nec indusia, etc.; — 4° quia si spiritum habemus, oportet eum concupiscere contra carnem, etc. Exemplum de illo qui solvit salarium malo mercenario.

De oculis. Periculosior hic sensus, quia plura habet obiecta, et etiam a longe distantibus patitur. Remedium est, non figere oculos. Augustinus : *Oculi vestri si satiantur,* etc. Nam simplex visio non nocet, sicut nec transitus velox per ignem. At fixio et mora nocet plurimum, quia, iuxta Greg., *Qui non custodit oculum externum, perdit internum.* Nam visio morosa gignit amorem, amor excaecat mentem, mens excaecata perpetrat omnia mala, quia iudicat malum bonum, et bonum malum. Exemplum de David, etc., imo et de primo angelo. Conclude cum illo Iob (31, 1) : *Pepigi foedus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine.* Nam qui custodit oculos, non cogitabit mala, etc.

Auditus. Periculosissimus sensus; nam etiam absentia percipit. Et habet obiectum universalissimum, nam per linguam infunduntur auribus obiecta omnium sensuum. Nec solum infunduntur simplices apprehensiones, sed etiam persuasiones et incitamenta. Hinc intravit primum peccatum in mundum.

Remedium est assuescere regulae silentii. Illa enim obligat ad non loquendum et non audiendum. Et si quis velit tecum loqui, si est persona inferior aut aequalis, libere admone de regula. Si est persona superior, responde paucissimis (1).

(1) *Explicit pagina, et subsequentes tres paginae scriptura vacant.*

DE PERFECTIONE

CUR TAM PAUCI PERFECTI EVADANT

Exhortatio prima

(Neapoli in domo, 1596)

Tractare intendo cur tam pauci perfecti evadant. Nam vere mirum est quod tam multi intrent religionem ad hunc finem ut perfecti evadant et habeant optima media, et tamen paucissimi ad finem pertingant. Exemplum de scholasticis, si forte accideret, ut in aliquo cursu multi essent, ingeniosi, cum bono praeceptore, etc., et tamen pauci aut nullus doctoratum acciperet.

Quattuor faciam : 1° ostendam paucos admodum evadere perfectos; 2° excludam tres excusationes. Omnis enim excusatio reducitur ad ista, quia non tenetur, et proinde non vult; quia non potest; quia non scit. Ostendam ergo 2° perfectionem esse necessariam; 3° esse possibilem; 4° esse notam iis qui volunt sequi institutum, cum ipsum sit via rectissima ad perfectionem.

Quoad primum. Non est opus probare id quod patet ad sensum. Sed quia posset aliquis fallere seipsum et putare se esse quod non est, probo ex proprietatibus perfectionis. Nam perfectio consistit in charitate perfecta omnium consensu; nam perfecta dicitur res cum ad summum pervenit, et charitas est nobilissima virtus. Item perfectum dicimus, cui nihil deest; et charitas est aliquo modo universalis. Unde qui illam habet, omnes censetur habere, partim quia multae praerequiruntur,

ut fides et spes, partim quia ipsa imperat actus omnium virtutum. Unde Augustinus in fine libri de natura et gratia dicit perfectam charitatem perfectam esse iustitiam, accipiendo iustitiam non prout est virtus particularis, sed prout est universalis. Perfecta charitas habet septem proprietates, duas ex parte intellectus, duas ex parte voluntatis, duas ex parte operis, unam ex parte locutionis.

1° Facit extasim, ut dicit Dionysius Areopagita, id est rapit animam et suspendit in Deum, ut semper aspiciat, cogitet Deum, et semper maiorem, pulchriorem, altiorem iudicet, et numquam satietur cogitando. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (Matth. 6, 21). Exemplum de aqua, quae tendit deorsum, ubicumque invenit rimam, et ignis sursum. Exemplum de amore capto, qui semper cogitat rem amatam, et eam somniat, dum dormit. Unde David : *Providebam Dominum in conspectu meo semper* (Psalm. 15, 8); et Helias : *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto* (Gen. 24, 40). Paulus dicit : *Conversatio nostra in caelis est* (Philip. 3, 20). Hoc modo exponit Basilius in oratione de gratiarum actione illud : *Oportet semper orare* (Luc. 18, 1), et *Sine intermissione orate* (I Thess. 5, 17). Nam oratio est ascensio mentis in Deum; et qui perfecte amat, numquam ita se tradit aliis negotiis, quin aliquo modo respiciat dilectum et quando non impeditur, continuo ascendit in Deum. Novi ego fratrem nostrum Aloysium, qui difficulter admodum poterat abstrahere mentem a Deo, et in oratione nullam patiebatur evagationem. Quantum igitur abest a perfectione, qui non solum per integros dies non cogitat Deum, et in ipsa oratione, quando liber est ab omni alio negotio, tamen vix Deum cogitare potest, et repellere vana phantasmata. At quot sunt in hoc numero! Si quis videret lapidem in aere suspensum, imo et impulsum deorsum, non cadere, certe dubitaret an esset lapis. Quomodo potest fieri ut centrum animae meae sit caelum, et non ferar illuc, remoto omni impedimento? Si thesaurus meus est in caelo, quomodo non est ibi cor meum? Si amor est inclinatio et pondus in rem amatam, quomodo ego Deum amo, si non

ferar in illum, quando non occupor in alia re? Si amor est vulnus et ignis, iuxta illud *vulnerata caritate ego sum* et illud poetae :

Vulnus alit venis et caeco carpitur igni (Verg. *Aen.* 4, 2), quomodo vulneratus sum amore Dei et uror, si nihil sentio, immo obliviscor Dei? Certe dolor vulneris et ardor ignis cogit se sentiri, nec possumus eius oblivisci. Igitur concludendum est, quod qui tales sunt, habent caritatem valde debilem, quae non urat, etc., vel fortasse nullo modo habent.

2ª Proprietas est, quod qui perfecte amat Deum, vix dignatur respicere creaturas, despicit omnes creaturas, ac si nihil essent. Nihil ei magnum, nihil dulce, nihil pulchrum videtur, nisi Deus. Quomodo aegrotis non placent res dulces, vinum, carnes, et alia quae a sanis mirabiliter appetuntur, quia languor infecit palatum, evertit stomachum, unde nihil eis dulcius quam non comedere, nauseant ad omnia; ita qui languent amore divino, nihil appetunt terrenorum. Thomas de Kempis, lib. 1, cap. 15 : *O si quis,* inquit, *haberet unam scintillam verae charitatis, profecto terrena omnia sentiret plena esse vanitatis.* Non loquitur de charitate actuali, sed affectuali, quae est distinctio Bernardi Serm. 50 in Cantica. Sicut enim in mundo aliter amatur quod cognoscitur et auditu esse pulchrum aut dulce, aliud quod cognoscitur ex visu aut gustu, — nam ex auditu nemo capitur amore vehementi, sicut ex visu, — ita ex auditu fidei amamus Deum super omnia, id est anteponimus omnibus rebus, quia iudicamus esse summum bonum. Et hoc modo omnes qui sunt in gratia, habent plus quam scintillam verae charitatis. At aliqui non solum ex auditu fidei, sed ex quodam gustu interno cognoverunt Deum esse summum bonum : *Gustate et videte* (Psalm. 33, 9), etc., et si summe gustastis, quam dulcis est Dominus. Et hi capiuntur amore vehementi, et huius vivi incendii una scintilla sufficit ut quis sentiat omnia creata nihil esse, et despiciat omnia. Et ratio est, quia ista charitas affectualis mire illuminat et purificat cor, et quo magis crescit, eo magis illuminat et purificat, donec faciat hominem spiritualem totum. E contrario

amor carnalis semper magis excaecat et inquinat, quia facit videri rem amatam multo pulchriorem quam sit, et unit cum illa, et sic anima amans carnaliter fit carnalis et lutea. At amor Dei non facit videri Deum meliorem quam sit, sed facit crescere in vera cognitione Dei, et unit cum illo, qui est spiritus purissimus. Sic anima illuminata, et purificata, et elevata, plane sentit et tangit manu omnia alia nihil esse. Unde dicit : *Quid mihi est in caelo, et a te quid volui super terram* (Psalm. 72, 25), id est, quid possum invenire, quod desiderem extra Deum? Plane nihil. *Defecit caro mea et cor meum* (Ibid. 26), id est dum adhaerere volui creaturis perituris, et ego perii cum illis; vel deficit cor meum, quia non invenit cibum, nec requiem in ulla re creata. *Deus cordis mei,* id est nihil appetit cor meum, nisi Deum. Ideo *Deus cordis mei* et *pars mea Deus in aeternum* (Ibid.). In Hebraeo nomen Dei primo loco positum significat petram ac robur. Petra cordis mei, et pars mea Deus, id est non habet cor meum, nisi Deum, cui videat se posse tuto inhaerere, et in eo quiescere. Nam reliqua sunt vana omnia, nec solum petra cordis mei Deus, sed etiam pars mea, tota portio et haereditas mea Deus, et hoc in aeternum. Nihil enim umquam aliud quaeram. Nunc unusquisque ingrediatur in se, et consideret ab hoc signo an sit perfectus. Nam si adhuc est sollicitus pro temporalibus, si adhuc illa magnifacit, si turbatur cum desunt, si nimis laetatur cum adsunt, intelligat se nondum accepisse scintillam perfectae charitatis.

DE PERFECTIONE

Exhortatio secunda

Tertia proprietas est, prima ex parte voluntatis, quod charitas perfecta semper desiderat se ornare et expolire, ut placeat dilecto. Et ratio est, quia amans nihil magis cupit quam amari, ut sicut ipse est in amato, ita amatus sit in ipso, et fiat unio, quae est finis amoris. Porro amor provocatur praecipue pulchritudine et similitudine. De pulchritudine habemus exemplum mulierum, quae tantum laborant in se ornandis; et quae non sic laborant, signum est quod non ament. Sic igitur anima vere amans Deum et cupiens illi placere, semper desiderat invenire quod facere possit ut illi placeat. Et quia scit illum velle sponsam sine macula et ruga, ut ipse est, non permittit ut omnes sciant suos defectus, antequam ipse sciat, sed diligentissime se ipse examinat, et quaerit omnes culpas, etiam minutissimas. Quia legit : *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra* (I Thess. 4, 3); et *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc* (Apoc. 22, 11), ideo anima vere amans semper quaerit proficere in sanctitate, et purificatione cordis, extirpatione passionum. Esurit et sitit iustitiam, et sicut famelicus et sitibundus, quaerit omnem occasionem se purificandi.

Amor est similis igni, qui semper operatur et consumit, et operando non minuitur, sed crescit. Ita charitas semper operatur, et operando non fatigatur, sed vigoratur et crescit. Item similis est animae viventi, quae semper facit crescere usque ad perfectionem, ut patet in plantis et animalibus. Sic igitur charitas, quae est ignis et vita, ubicumque est, crescit et crescere facit toto tempore huius vitae, quia semper perfici potest. Hinc apparet quid de illis dicendum sit, qui contenti sua mediocritate, satis putant se facere, si dicunt suum officium et missam, etc. Certe si ignis arderet in corde, si sitis iustitiae inesset, aliud fieret.

Quarta proprietas est fiducia cum Deo impetrandi omnia. Joannes inquit : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus* (I Io. 3, 21), etc. Nam in hoc mundo qui amat, non certo scit se amari; at qui Deum amat, certo scit se amari a Deo; immo scit se amare, quia amatur. Nam charitas est donum Dei, quod dat nobis ex amore. *Ipse* enim *prior dilexit nos* (I Io. 4, 10). Nec solum scit per discursum, et quia Dominus ait : *Ego diligentes me diligo* (Prov. 8, 17), et *Qui diligit me, diligetur a Patre meo* (Io. 14, 21), etc., sed scit per experientiam. Nam Spiritus Dei testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Qui autem scit se esse filium et amicum, summa cum fiducia ad Deum accedit, securus impetrandi. Quum illa B. Catharina de Genua timeret ne maritus ob impatientiam damnaretur, dicebat : *Domine, volo hanc animam,* etc. Et sicut ipsa B. Virgo dixit ministris : *Quod dixerit vobis, facite* (Io. 2, 5). Haec fiducia videtur immediata causa miraculorum. Unde Iesus tantam fiduciam habebat, ut non rogaret Deum, sed imperaret soli, etc. Dices : At nemo certo scit se diligere, ac per hoc non certo scit se diligi, etc. Respondeo : nemo scit ex fide catholica. Item multi non sciunt etiam probabiliter, quia non sentiunt affectum erga Deum, nec sciunt quam sint prompti ad moriendum pro Deo. Et ideo magis timore, quam fiducia abundant. At perfecti in charitate et qui habent affectivam charitatem, qui sentiunt se trahi ad semper cogitandum Deum, qui ardenter desiderant illi placere, qui sentiunt se fastidire omnia creata propter Dei amorem, qui experti sunt se multa tolerare posse cum felicitate, illi ita certo sciunt se diligere et diligi, ut non dubitent de hac re; et ideo dicunt cum sponsa : *Dilectus meus mihi, et ego illi* (Cant. 2, 16). Et : *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius* (Ibid. 6, 2). Et cum Petro : *Domine, tu scis quia amo te* (Io. 21, 15). Et cum Paulo : *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus* (Galat. 2, 20). Et cum Augustino in lib. 10 Confess. cap. 6 : *Dñe, amo te.* Vide Bernardum Serm. 69 in Cantica, ubi ostendit ex perfecta charitate oriri familiaritatem cum Deo ineffabilem, et ex illa fiduciam incredibilem.

DE PERFECTIONE

Exhortatio tertia

Quod Institutum nostrum sit perfectissimum, 1° probatur ex parte finis, a quo sumit religio speciem et perfectionem essentialem. Multa sunt genera religionum, sed in universum duo. Aliae enim sunt contemplativae, aliae activae : quia nimirum aliae sunt institutae ad contemplandum Deum, aliae ad iuvandos proximos, et hae sunt multiplices, ut notum est. Ex his contemplativae sunt perfectiores activis ex genere suo. Quod patet 1° quia Luc. X dicitur, *Optimam partem elegit*, et sic exponunt Augustinus et alii; 2° Quia contemplativa exercetur in amore Dei directe et immediate, activa immediate et directe in amore proximi.

Tamen sunt quaedam religiones activae, quae, ut docet S. Thomas in 2^a 2^{ae} q. 188, art. 6, sunt perfectiores contemplativis : illae videlicet, quae versantur in actione quae praerequirit contemplationem, qualis actio est praedicatio, et sacramentorum ministratio, et in summa conversio animarum, et earundem purgatio, illuminatio et perfectio. Istae enim actiones, ut bene fiant, procedere debent a contemplationis plenitudine et maxima unione cum Deo. Et hae religiones sunt perfectissimae; nam sunt proximae statui episcoporum. Et sicut episcopi debent esse iam perfecti, ita isti religiosi, quando non sunt novitii, neque scholares, sed operarii, deberent esse perfecti, quia versantur in ministeriis praecipuis episcoporum. Episcopi enim non tam debent esse perfecti, quia confirmant, vel iudicant causas, quae nos non facimus, quam quia praedicant, et convertunt ac perficiunt animas.

Deinde istae religiones sunt similiores vitae Christi et Apostolorum, quam sint purae contemplativae, ut patet. Denique istae religiones sunt simillimae vitae angelicae. Angeli enim semper contemplantur faciem Patris, et tamen occupantur in reductione et protectione animarum. Nec solum angeli infimae hierarchiae, ut quidam putant, sed etiam supremi habent hanc vitam mixtam. Nam *omnes sunt administratorii spiritus*, ad Hebr. 1. Et Ezechieli apparuit Cherubim; Isaiae et S. Francisco Seraphim. Denique Michael censetur summus angelus. Dicitur enim : *Michael et angeli eius* (Apoc. 12, 7). Et ideo in confessione publica praeponitur S. Ioanni Baptistae et apostolis Petro et Paulo, quod constat etiam in choro Seraphinorum, ut dicit Chrysostomus. Et tamen saepe mittitur ad homines et censetur custos Ecclesiae.

Quod autem Societas sit religio huius generis, notissimum est. Hinc intelligere incipiemus, cur non simus perfecti. Nam vel ignoramus, vel negligimus finem Instituti. Si religio nostra est mixta, ergo debemus in vita contemplativa exercitati esse; sicut vere fuit Christus, qui *pernoctabat in oratione.* Ioan. 6; et apostoli qui dicebant : *Nos orationi et verbo instantes erimus* (Act. 6, 4). Et sicut debent esse episcopi, de quibus dicit Gregorius in Pastorali, quod debent esse in contemplatione suspensi; et sicut revera fuerunt omnes sancti mixtarum religionum. Hic dicas de oratione S. Francisci, quoniam hodie est festum eius.

At quotusquisque nostrum potest dici contemplativus? Certe una hora meditationis distractae non facit contemplativum. Dices : At nostrae regulae definiunt unam horam orationis. Respondeo illam horam definitam esse, ut non fiat minus, non autem ut non plus fiat, nisi forte in collegiis pro scholaribus. Nam scholares, ut etiam coadiutores temporales, non tenentur dare operam contemplativae vitae, nisi quatenus obligat regula, quia ipsorum actio id non requirit, ut patet. At professi et coadiutores spirituales, qui proprie sunt in statu illo vitae mixtae, egent maiori contemplatione. Unde P. Ignatius in 4 parte, cap. 4, scholaribus assignat unam horam ora-

tionis, includendo officium B. Mariae et duo examina. At in 6 parte, cap. 7, professis et coadiutoribus spiritualibus non limitat tempus orationis, quia dicit illos pro certo haberi, quod iam sint homines spirituales et currant in via Domini. Et quia periculum erat ne immoderati essent, vult ut conferant cum confessario, et in dubiis rebus cum Superiore. At certe non potest dici currere in via Domini, qui non facit nisi id quod praescribitur scholaribus et coadjutoribus temporalibus, qui sorte Marthae, id est vita pure activa, contenti esse debent. Quid igitur de illis dicemus, qui hoc ipsum vix implent? Dicet alius non suppetere tempus ad longiorem orationem, vel lectionem spiritualem. Respondeo tempus suppetere et abundare, si velimus illo uti. Seneca in quadam epistola reprehendit eos, qui dicunt tempus esse nimis breve; et probat eos injuste conqueri, quia perdunt multum temporis vane, quo si uterentur, multum temporis haberent. Nam tria nobis facienda sunt : curanda anima propria, curandae animae proximorum, et curandum corpus. Et quidem pro dignitate rerum plus temporis deberet insumi in curanda anima, etc. Sed contra fit. Nam pro corpore insumitur, ut minimum, undecim horae, in dormiendo septem, in comedendo una, in recreatione duae, in vestiendo, spoliando, abluendo et similibus, et post recreationem iterum dormiendo una. Pro animabus aliorum, si expenduntur septem horae quotidie, certo est multum. Remanent igitur aliae sex, ex quibus una detur orationi matutinae, una sacro faciendo, una cum media officio dicendo, dimidia examinibus. Restant duae horae, quae possunt expendi meditationi, vel lectioni piae, ad fructum propriae animae. Sed ideo tempus multis deest, quia non contenti recreatione, multum perdunt otiando, deambulando, colloquendo, visitando, legendo, vel faciendo inutilia. Itaque si quis velit esse id quod debet, id est spiritualis, contemplativus, et operarius perfectus, tria illi sunt necessaria. 1° Ut circumcidat omnem vanam curiositatem, curam habeat temporis, et non unum quidem momentum patiatur sibi a carne et sanguine [abripi], cum nimis multum illa habeat. Circumcidat

omnia negotia non necessaria; nolit scire quae ad se non pertinent. B. Dorotheus in 1° sermone docet posse hominem facillime vincere curiositatem et propriam voluntatem, si exerceat se aliquot diebus in rebus etiam minimis. Ut v. g. venit externus domum; mox insurgit appetitus sciendi quis ille sit, unde veniat, quid velit; mortifica hunc appetitum. Mittitur munus aliquod; statim cupit scire quid sit, quis mittat, cui mittat; mortifica hunc appetitum, et sic de ceteris. Iste mortificat hodie decem appetitus, orat totidem, et sic brevi tempore homo redditur incuriosus et interior, etc.

Bessarion in defensione Platonis recitat epistolam cuiusdam Ditognei, qui dicit quod ad percipienda divina mysteria Pitagorae oportebat multis annis purgare animam ab affectibus irae et concupiscentiae, quia sicut modicum aquae limpidae infusae in puteum plenum sordium, non eas purgat, sed ipsa amittitur, ita, etc.

2° Ut spoliet se omni affectu erga creaturas et seipsum, et levet se super se. Nam, ut bene dicit Thomas de Kempis, lib. 3, cap. 36, ideo pauci sunt contemplativi, quia pauci sciunt se ab omnibus creaturis sequestrare. Et nisi quis ponat se supra omnes creaturas, non potest intelligere differentiam inter Deum et creaturam, quia *animalis homo non percipit* (I Cor. 2, 14), etc., et hinc incipit contemplativa vita, cum quis potest videre nihil Deo esse simile. Hoc significant illae parabolae de margarita et de agro, in quo est thesaurus, quae eruitur omnibus venditis. Nam quia Deus continet omnia, non datur nisi iis, qui vere relinquunt omnia.

3° Requiritur ut intense velit et cupiat perfectionem. Nam voluntati efficaci nihil est difficile. *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Matth. 5, 6). Esurire et sitire est desiderium importunum, quod nascitur ex sensu defectus. Omnis qui vere sentit defectum et importune desiderat, vere saturatur, impletur perfectione, etc.

DE PERFECTIONE

Exhortatio quarta

[DE PAUPERTATE]

Instrumenta substantialia sunt tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae, quia tollunt impedimenta perfectionis, cum liberent animam a sollicitudine et amore divitiarum, cognatorum et sui ipsius. Igitur ostendere volo haec instrumenta in nostro instituto esse perfectissima.

Incipiamus a paupertate. Tria requirit paupertas religiosa ut perfecta sit : 1° ut nemo habeat proprium; 2° ut nemo procuret sibi quidquam, sed relinquat omnem curam superiori; 3° ut quisque sit contentus paucis et vilibus.

Quoad primum. Abdicatio proprietatis est de essentia religionis, ita ut nec papa possit dispensare, ut quis sit religiosus et habeat proprium. Cap. Cum ad monast. de regular. Dominus enim dicit : *Si vis perfectus esse, vende omnia et da pauperibus* (Matth. 19, 21). Qui vendidit et dedit omnia, nihil habet proprium. Nam si haberet, posset vendere et dare, et sic non vendidisset et dedisset omnia. Unde Act. 4, ubi incepit forma vivendi religiosorum, nemo dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia.

Institutum Societatis in hac parte est perfectissimum. Nam in aliis religionibus, etiam observantibus et arctissimis, habent quasi propria, cubiculum, arcam, libros, vestes, linteamina, etc. At in Societate nihil omnino unde omnia mutantur pro arbitrio superiorum, et nemo habet clavem. Et quamvis aliqui habent scripta, tamen non possunt ea vendere nec

donare. Et qui nondum sunt professi vel coadiutores possunt disponere de bonis, sed ut de alienis, quia non possunt sibi applicare, nec possunt vel pauperibus dare sine licentia. Et quia omnes religiones bene coeperunt, sed postea relaxatae sunt, ut nostrum Institutum conservetur, duo media addita sunt, quae sunt propria nostra : 1° ut non possit accipi eleemosyna pro ministeriis; nam inde irrepit proprietas; 2° ut omnes professi voveant non consentire ut paupertas laxetur, sed solum ut restringatur. Contra hanc perfectionem Instituti faciunt, qui sine licentia dant. Nam dare est eius qui habet proprium. Neque debet pudere dicere : « Non possum dare », quia haec est professio paupertatis, etc.

Quoad secundum. Ad perfectionem paupertatis religiosae pertinet ut religio omnia provideat. Nam alioquin non liberatur religiosus a sollicitudine quaerendi et conservandi divitias, si sibi providere debet. Unde in Act. cap. 4, dicitur quod inter fideles nemo erat egens, quia dabatur de communi unicuique, sicut cuique opus erat. Et ait Scriptura, quod haec erat magna gratia. Et vere est magna felicitas, quia tales nec sunt dites, nec pauperes, sed habent bonum divitiarum id est victum et vestitum, et bonum paupertatis id est carentiam sollicitudinis et affectus ad pecunias. Et contra, carent malo paupertatis, id est indigentia necessariorum. Itaque habent nucleum et carent cortice. Quod desiderabat sapiens, cum diceret : Divitias et paupertatem ne dederis mihi (cf. Prov. 30, 8). Unde S. Hieronymus, in epistola, ni fallor, ad Rusticum dicit non licuisse monachis vel ipsa necessaria petere; sed exspectare debebant, ut darentur a superiore. Hanc perfectionem paucae religiones habent. Nam ut plurimum tenentur sibi providere de vestibus, vel libris, etc.; et si ad alia loca migrent, nihil inveniunt. At Societas omnia providet, et in omnibus locis totius mundi, quocumque eam, et serviunt unicuique nostrum saepe viri nobiliores quam ulli principi. Unde magna est ingratitudo, cum quis conqueritur quia deest illi nescio quid, et non cogitat quantis bonis abundet. Contra hanc perfectionem faciunt, qui accipiunt sine licentia, etiam

pro eleemosyna, quae non debent accipere, nisi de manu superioris. Exemplum Dominicum.

Quoad tertium, quod est praecipuum : licet religio debeat providere omnia, et religiosi non sint egeni, quia non desunt eis necessaria, tamen debent esse contenti paucis et vilibus, et optare penuriam. Nam Christus, caput omnium religiosorum, non solum fuit pauper, quia non habuit proprium, sed etiam egenus, quia multis eguit. *Ego autem,* inquit, *egenus sum et pauper* (Psalm. 69, 6). Et *Scitis gratiam Domini Nostri Jesu Christi* qui *propter nos egenus factus est, cum esset dives* (II Cor. 8, 9). Unde patiebatur discipulos vellere spicas prae fame, cum posset optime illis [providere]. Sic videmus omnes religiones abhorrere a sericis et delicatis cibis. Et S. Thomas in 2^a 2^{ae} 9, 186, probat religiosos decere viles vestes.

Porro nostra regula etiamsi velit nos habere vestes et victum communem honestis sacerdotibus, quia hoc requirit finis Instituti et conversatio cum omni genere hominum, tamen vult ut simus contenti paucis et vilibus. Nam in Summario, reg. 11, monet ut abhorreamus ab his quae mundus amat; reg. 12, monet ut quaeramus in rebus omnibus mortificationem; reg. 24, monet ut omnes experiantur effectus paupertatis, qui sunt fames, sitis, nuditas, verecundia, nam paupertas est res ignominiosa; reg. 25, monet victum, vestitum et lectum debere esse ut proprium pauperum, et ut quisque cogitet sibi danda vilissima quae domi erunt.

O utinam Institutum nostrum intelligeremus, et vellemus esse id quod debemus, certe facile ad perfectionem perveniremus. Nam ex his regulis colliguntur haec : 1° ut simus contenti necessariis. Nam mundus amat superflua. Porro necessitas debet iudicari ab amatore paupertatis, non ab amatore sui, et secundum rationem, non secundum imaginationem. Item superflua sunt vitanda etiam in rebus minimis et devotionis, ut dicit Bonaventura in *Speculo disciplinae,* cap. 6. Contra quod faciunt qui onerant se libellis, imaginibus, etc. At, inquiunt, pudet me non posse dare petentibus res devotionis. Sed potius deberent pudere habere ad dandum, etc.

2° Colligitur ipsa necessaria debere accipi, ut vult superior, non ut ego volo. Nam debeo quaerere in omnibus rebus mortificationem. Ubi nota tribus modis posse haberi necessaria : *a)* quaerendo et procurando quae sunt conformia appetitui, et hoc est imperfectorum et saecularium; *b)* accipiendo quod datur, sive placeant, sive displiceant gustui. Et hoc est bonum, utile, necessarium vero religioso; *c)* quaerendo quae displicent appetitui; et haec est perfectio regulae nostrae. A qua videant quam longe absint, qui non sunt contenti iis quae dantur. *Comede,* inquit Hieronymus ad Rusticum, *quod iuberis.*

3° Colligitur neminem debere optare in religione ea quae in saeculo non habuisset, ut dicit Augustinus in regula. Nam victus et vestitus et cetera debent esse ut propria pauperum, et debemus experiri effectus paupertatis. Ergo venimus ad religionem, ut ad statum pauperiorem et humiliorem, et ad patiendum. Quantum ergo distant a perfectione Instituti qui murmurant, si non habeant multa quae in saeculo non habuissent, et quae multi divites et nulli alii religiosi habent.

4° Colligitur, indecentissimum esse, ut quis procuret res novas et subtiles, etc., cum regula dicat unumquemque debere esse contentum accipere deterrima, quae domi invenientur. Et haec non est amplificatio, sed ad litteram sic debet intelligi, si quis Institutum sequi [velit].

Denique colligitur nostrum Institutum quoad paupertatem esse perfectissimum et tamen facillimum, et proinde ingratum valde et miserum, qui non scit, vel non vult illud servare.

DE PERFECTIONE

Exhortatio quinta

[DE CASTITATE]

Sequitur alterum instrumentum, quod est castitas. Quod quidem magis disponit ad perfectionem, quam paupertas, quia tollit impedimentum maius, id est amorem personarum, qui est acrior secundum Chrysostomum et secundum experientiam, quam amor rerum externarum. Unde etiam magis disponit ad unionem cum Deo et contemplationem, quia *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5, 8). Porro nostrum Institutum requirit perfectissimam castitatem, id est angelicam, ut dicitur in 6 parte Constitut., cap. 1. Ut autem intelligamus quae sit angelica puritas, notandum esse tres gradus propriae dictae castitatis, quos describit S. Bonaventura in lib. de processu religionis, et quinque gradus largo modo.

Primus est eorum qui cupiunt caste vivere; tamen impugnantur a demonio, habent carnem rebellem, habent malos habitus, et ipsi comedunt et bibunt, etc. Iste non est proprie gradus castitatis, ne incipientium quidem, sed largo modo potest dici incipientium saecularium. Nam isti ut plurimum vincuntur, quia in eis pugnat sola voluntas infirma cum tribus potentissimis hostibus.

2^{us} Est eorum qui vere sunt incipientes, qui habent robustam voluntatem et pugnant ieiuniis et orationibus, etc. Sed habent carnem rebellem, diabolum tentantem et habitus malos. Isti sunt iuvenes religiosi, qui laboriosum bellum habent

cum incerto victoriae. Nam in eis pugnat unus fortis et bene armatus contra tres fortes.

3^{us} est proficientium, qui impugnantur raro et leviter, et ut plurimum vincunt parvo labore. Isti sunt qui habent bonam voluntatem, habitum bonum introductum et carnem exercitio et aetate fere edomitam, et inimicum multis victoriis prostratum. Unde hic pugnant duo fortes contra duos debiles. Et ideo bellum habent facile, et cum certo victoriae, nisi se dedant negligentiae. Nam aliquando accidit ut qui fortiter pugnaverat et vicerat, postea non vitando pericula misere cadat. Exemplum S. Gregorii de oppressis prae somno in civitate. Unde S. Antonius, teste Athanasio, non securum se putabat, etiam post multas victorias.

4^{us} est perfectorum, qui in pace sine ullo bello quiescunt, quia non tentantur nec sentiunt motus carnis in vigilia, nec illusiones in somnis. Et tractant de rebus coniugalibus vel de adulteriis, et similibus immunditiis, sive legendo, sive audiendo confessiones, ac si tractarent de rebus mathematicis, vel potius ut de his rebus tractaret angelus expers corporis. Et tales esse aliquos, quamvis paucos, patet ex Abbate Sereno apud Cassianum, Collat. 7, et apud Bonaventuram, loco notato. Et talem fuisse Bernardum patet ex primo libro vitae eius, ubi legimus, quod cum audiret in confessionibus suorum monachorum aliquas illusiones nocturnas, multum mirabatur, etc.

Talem ego novi Aloysium nostrum, et alium adhuc iuvenem, et duos coniugatos.

5^{us} est aliorum, qui non solum liberi sunt a motibus carnalium voluptatum, sed ab affectu omnium rerum corporalium; qui sumunt cibum, potum, somnum, ut medicamenta ex mera necessitate et cum mensura; et grave est illis servire corporali necessitati. Talem fuisse S. Franciscum scribit Bonaventura, quem dicit factum insensibilem ad res corporales. Et ipse dicebat nimis difficile esse amanti Deum satisfacere necessitati corporali. Tales etiam erant, quos dicit Cassianus solitos oblivisci cibi, etc.

Haec est excellentissima castitas, quae facit animam sollicitam de solo Deo, ut dicere possit : *Ego dilecto meo* (Cant. 6, 2). Est vere angelica puritas. Isti sunt cherubim, in quibus Deus sedet. Isti sunt caelum caeli Domino (cf. Psalm. 113, 16). Nam factus est in pace locus eius (cf. Psalm. 75, 3). Isti sunt angeli terrestres pleni decore et sapientia. Isti sunt homines, animo et corpore spiritales, sicut contra nonnulli sunt corpore et animo carnales.

Ad hunc gradum nos hortatur nostrum Institutum, et dat etiam modum eo perveniendi. Nam tria sunt, quae castitatem oppugnant, primo diabolus, ut patet de S. Paulo, Antonio, Hilarione, Hieronymo, etc.; 2° caro petulans, etiamsi diabolus non esset. Nam *Unusquisque tentatur a concupiscentia* (Iac. 1, 14), et *Sentio aliam legem* (cf. Rom. 7, 23), etc.; 3° obiecta sensibilia, quae occurrunt conversantibus in mundo, etc. Contra haec sunt oratio, ieiunium, et vitatio occasionum. Porro Institutum nostrum quoad orationem indicit unam horam et duo examina, et non prohibet orare, quotiescumque id est necessarium. Quoad vitationem periculi, posuit multas regulas : 1° de non tangendo, et initio rigorose servabatur, et servanda est etiam cum externis, etc.; 2° de non habenda cura monialium, nec aliarum mulierum, ut patet ex 6 parte Constitut., cap. 3, et ex bulla ultima Pauli III; 3° de non adeundis mulieribus, etiam confessionis gratia, sine socio teste de visu; et tenetur socius significare superiori an hoc servetur. Quoad carnis macerationem, quod est potissimum remedium, nostrum Institutum non ordinavit communes poenitentias, quia non omnes laborant eodem morbo; sed voluit ut omnes faciant cum approbatione confessarii vel superioris, quod discreta charitas dictat. Sed est una regula in hac parte mirabilis et perfectissima, nimirum 12, quae dicit studium maius et impensius uniuscuiusque esse debere in quaerenda in rebus omnibus continua mortificatione. Nota *continuam;* nota *in rebus omnibus,* id est cibo, vestibus, visu, auditu, locutione etc.; nota *quaerendam,* non solum tolerandam; nota *maius et impensius studium.* Et hoc requirit Institutum a noviciis in 4°

capite examinis, ab operariis autem requirit in 6 parte Constit. cap. 3, ut ita sint in his omnibus excercitati et habituati, ut tamquam viri spirituales et perfecti currere possint in via Domini, sine rebellione carnis ad spiritum, et egeant freno in ieiuniis et similibus.

Hinc patebit cur non simus perfecti, et quod non possit culpa referri in Institutum. Vere enim delicati facti sumus, et quod novitiis praescribitur, nondum implevimus nos, qui professi sumus. Immo quot sunt, qui adhuc non mortificaverunt gulam! Et tamen hic est primus gradus ascendens in via Domini, ut patet ex Cassiano in lib. 5 de Gastrimargia, cap. 13 et 14. Sed quid agemus? An desperabimus? Minime, sed accendemur ad redimendum tempus. Et quia vocati prima hora non bene laboravimus, fingemus nos vocatos hora undecima, et saltem hoc modico tempore ferventes erimus, etc.

DE PERFECTIONE

Exhortatio sexta (1)

[DE OBEDIENTIA]

Obedientia est primaria inter virtutes religiosas. Ipsa enim continet alias duas, ut dicit d. Thomas 2ª 2ae q. 188, art. 8. Et ideo quaedam religiones in forma vovendi non exprimunt nisi obedientiam, ut religio S. Benedicti et S. Dominici. Item ipsa sacrificat Deo propriam voluntatem, cum paupertas sacrificet res externas, et castitas carnem. Et ideo ipsa est difficillima et nobilissima. Hanc virtutem ut propriam elegit P. Ignatius, in qua vult suos excellere. Et re vera in regula sua summum gradum obedientiae requirit. Tres enim sunt gradus obedientiae. Primus ut quis obediat in omnibus, quae superior iubet secundum regulam; 2us ut obediat in omnibus, quae superior iubet, sive sint in regula, sive non sint; et hanc vocat B. Bernardus in lib. de praecepto et disp. perfectam obedientiam; 3us ut non solum obediat in omnibus, quae iubentur, sed in omnibus quae superior vult et cupit fieri, licet non audeat iubere. Et haec fuit obedientia Christi altissima et perfectissima, ut ipse dicebat Io. (8, 29) : *Pater amat me quia ego, quae placita sunt ei, facio semper*. Hanc nos docuit P. Ignatius. Nam ideo non vovemus obedientiam secundum regulam, sed obedientiam simpliciter. Et in reg. 31 dicit obediendum in omnibus, ubi non cernatur peccatum, et

(1) 5ª *ante correctionem; et in codice quidem haec instructio ante instructionem quintam (de castitate) scripta est.*

in reg. 33 non solum esse obediendum in rebus obligatoriis, id est in iis quae iubentur, sed in aliis omnibus, etiamsi non appareat nisi nutus superioris. Et in epistola sua docet voluntatem superioris debere esse pro regula inferioribus.

Porro ut quis ad hanc obedientiam ita universalem perveniat, quattuor requiruntur : indifferentia, patientia, et humilitas, et abnegatio iudicii, quae sunt quattuor columnae, quae sustinent obedientiam. Et ratio huius numeri est, quia tria concurrunt in actu obedientiae, superior qui iubet, inferior qui obedit, et res quae iubetur. Ex parte horum omnium existit peculiaris difficultas, quae impedit promptitudinem et perfectionem obedientiae : 1° ex parte superioris impedit eius infirmitas. Saepe enim inferior est doctior, senior, melior, aut non minus doctus, senex, bonus, etc. Hoc impedimentum tollit humilitas, et ideo iungitur perfectae obedientiae : *Humiliavit semetipsum factus obediens* (Philipp. 2, 8). *Obedite praepositis, et subiacete eis* (Hebr. 13, 7), etc.; 2° ex parte inferioris impedit inclinatio eius ad aliquid. Nam etsi superior forte sit talis, ut omni iure subditus illi deferre debeat, tamen si subditus sit propensus ad unum aliquid, difficulter obediet, si iubeatur contrarium. Hoc impedimentum tollit indifferentia; 3° ex parte rei quae iubetur, impedit difficultas eius, quae saepe magna est, etiamsi quis sit indifferens, etc. Et haec est duplex : una ob repugnantiam ad iudicium; hanc tollit abnegatio iudicii. Altera, ob repugnantiam ad sensum, et hanc tollit patientia. Unde scriptum est : *Didicit per ea quae passus est obedientiam* (Hebr. 5, 8).

Primo igitur requiritur humilitas in obedientia, cuius sunt tres gradus. Primus est obedire superiori, id est doctiori, meliori, seniori, etc.; et hoc facile est; 2^us^, obedire aequali; et hoc non est admodum difficile; 3^us^ obedire inferiori, id est iuniori, indoctiori, etc. : hic est perfectissimus gradus. Et hanc docuit Christus subdens se Ioanni, cui dixit : *Sic decet nos implere omnem iustitiam* (Matth. 3, 15); item matri, Iosepho, Caesari, Pilato, etc. Hanc habuit S. Franciscus, qui dicebat se accepisse a Deo gratiam obediendi sic prompte novicio unius

dici, si ei daret guardianus, ac antiquissimo et discretissimo fratri. Hanc perfectionem docuit nos P. Ignatius in epistola, dum monet ut non respiciamus personam cui obeditur, sed Deum, etc.

2° Requiritur indifferentia, sine qua impossibile est ut obedientia sit universalis. Exemplum de caelis, qui ideo aeque facile moventur ad occidentem et ad orientem, quia non habent inclinationem ullam, sicut habent elementa, quae non possunt moveri in contrarium, nisi difficulter et semper lentius, donec tandem quiescant. Item est exemplum de oculo, qui nullum habet colorem annexum, ut videre possit omnes. Hanc indifferentiam docuit P. Ignatius in multis locis epistolae et regularum, et similitudine baculi senis, et exemplo suo, quando veniebat Romam, et alii dicebant se cogitare Indos, alii alia, etc.

3° Requiritur patientia, quae vincat omnes difficultates. Nam cum iubentur facilia vel suavia, ibi non cognoscitur obedientia. At cum iubentur laboriosa, in quibus inest dolor, aut damnum, aut ignominia, ibi probatur obedientia. Unde Christi obedientia fuit perfectissima, quia *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Philipp. 2, 8), ubi passus est summum dolorem, summum damnum et summam ignominiam simul. Ad hanc perfectionem nos invitat nostrum Institutum, cum iubet ut obediamus in omnibus, etiamsi sint sensualitati valde repugnantia; immo illa libentius amplectamur, ut magis conformemur Christo, qui dedit nobis exemplum perfectae obedientiae.

4° Requiritur abnegatio iudicii et quaedam sancta caecitas, qua homo non iudicet nec discernat quod iubetur, sed sine discussione currat ad obediendum, iuxta illud : *In auditu auris obedivit mihi* (Psalm. 17, 45). De hac multa dici possent, sed non vacat per otium. P. Ignatius non solum hanc docet, sed etiam prudentissime scripsit hanc esse necessariam, quia iudicio repugnante est impossibile obedire prompte, hilariter, etc. Hinc intelligitur cur tam pauci sint perfecti, quia paucissimi inveniuntur hoc tempore veri obedientes. Quot sunt, qui

superiori obedire moleste ferunt, si sit illis inferior aetate, aut alia qualitate! Quot qui habent suam inclinationem, et ab ea vix divelli queunt! Quot qui iudicant suum iudicem et eum condemnant! Quot denique, qui ad omnem difficultatem resistunt! qui proprio honori, proprio commodo, proprio gustui ita sunt addicti, ut in omnibus contrariis turbentur, seque excusent, et omnibus modis agant, ut liberentur ab illa obedientia! Quot etiam qui fatigantur, si diu in uno loco vel ministerio esse cogantur! Hoc signum est obedientiam esse violentam et imperfectam, et longe abesse ab illa idea : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* etc. Sed si nos non movet quia obligati sumus ad obedientiam, quia religiosi et tales religiosi, moveat propria utilitas, quia obedientia est res maximi lucri. Est res securissima et iocundissima, quia, ut dicit B. Dorotheus, verus obediens non potest non esse laetus; et contra.

DE PERFECTIONE

Exhortatio septima

Instrumenta accidentalia sunt tria : oratio, poenitentia et silentium. Dico esse accidentalia, quia possunt ista inveniri in homine non religioso, et potest religiosus esse sine his, sed non erit bonus religiosus, sicut sine sanitate homo est homo, sed infirmus. Ac patet de oratione, 1° quia invenitur in omni religione. Et S. Franciscus dicit orationis gratiam viro religioso super omnia appetendam, quia impossibile sit aliquem sine ipsa in divino prosperari servitio. Idem patet exemplo omnium sanctorum. Denique patet ratione. Nam perfectio in amore Dei consistit. Amor nascitur ex cognitione, vel potius ex consideratione. Sicut enim amor carnalis ex quadam speculativa cognitione pulchritudinis, nec ex visione quacumque, sed ex morosa consideratione; unde Augustinus in regula : *Oculi vestri si iaciuntur in aliquem, figantur in neminem;* ita amor caelestis nascitur ex morosa et attenta consideratione attributorum Dei. Alioqui omnes christiani sciunt Deum esse omnipotentem, summum bonum, etc., sed non attente considerant. Attenta autem consideratio proprie fit in oratione mentali et ideo plus prodest meditatio ista quam lectio, vel concio. *In meditatione,* inquit, *mea exardescet ignis* (Psalm. 38, 4).

Adde quod cognitio Dei intima et accedens ad amorem donum Dei est maximum, et ideo desursum est, et descendit a patre luminum, ut dicit Iacobus. Et ideo nulla est via ad illud, nisi oratio. Unde idem Iacobus (1, 5) : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et*

non improperat. Dat Deus petentibus copiosum lumen sapientiae, id est cognitionis primae causae, quae est Deus, et non improperat, quia non vendit neque mutuat, sed gratis donat. Itaque in oratione mentali concurrit consideratio cum petitione, quae sunt duae manus accipientes cognitionem, unde fluit amor.

Sed nota tres gradus orationis. Primus eorum qui orant, sed nec audiunt responsionem, nec sciunt an audiantur. Et similes sunt illis, qui in plateis clamant ad regem in cubiculo existentem; 2^us^ eorum, qui habent aliqua signa quod audiantur, sed non audiunt responsum. Et similes sunt illis, qui admittuntur ad aulam et publicam audientiam, et vident regem et ei coram exponunt suum negotium, et relinquunt memoriale; sed rex eis non respondet; 3^us^ est eorum qui vere colloquuntur cum Deo, et Deus cum illis. Et similes sunt illis, qui admittuntur ad cubiculum regis, et rex eis familiariter loquitur. Isti illuminantur, non habent evagationes, non fatigantur orando, quia plus audiunt quam loquuntur. Isti acquirunt irriguum inferius et superius. Dum enim in lumine illo vident suam foeditatem, non possunt continere compunctionis lacrimas. Et dum vident Domini pulchritudinem et ad illam accedere cupiunt, non continent lacrimas desiderii, etc.

Porro in nostro Instituto hoc instrumentum perfecte habetur, ut patet ex exercitiis, quae fiunt per mensem in novitiatu, et postea ante vota, ante ordines, ante officium superioris, etc. Et, ut supra diximus, operariis non praescribitur una hora tantum, sed datur magna libertas, etc. Unde etiam religiones maxime contemplativae petunt a nobis instrui in ratione meditandi. Denique in Constitutionibus, parte 10, requiritur communicatio cum Deo frequentissima.

Alterum instrumentum est poenitentia. Nam status religionis est status poenitentiae, ut dicit S. Hieronymus, S. Thomas et alii. Et omnes religiones habent aliquid, ut non comedere carnes, indui cilicio, vestitum dormire, etc. Idem patet exemplo sanctorum, qui omnes fuerunt addicti poenitentiae, ut patet ex eorum vitis. Unde qui volunt sine poeni-

tentia pervenire ad perfectionem, volunt invenire novam viam. Idem patet ratione. Nam ieiunium est comes orationis : *Bona est oratio cum ieiunio* (Tob. 12, 8). *Hoc genus non eicitur, nisi in oratione et ieiunio* (Marc. 9, 28). *Ut vacetis orationi* (I Cor. 7, 5) et ieiunio. Et Scriptura ubique ista coniungit. Unde oratio et ieiunium sunt sicut cantus et sonus. Et ratio est, quia laetitia carnalis facit exire extra se; poenitentia reducit ad se, sicut limaces tempore sereno et calido egrediuntur, sed tempore pluvio conduntur in sua testa. Item laetitia carnalis facit animam quiescere in carne; at poenitentia facit eam quaerere aliam consolationem in Deo. Sicut accipiter, quando habet cibum, non cupit volare ad capiendas aves. Et haec est ratio, cur sancti qui non habebant opus poenitentia pro peccatis, tamen aspere vivebant, ut Ioannes Baptista et alii. Denique laetitia carnalis facit immodestum, dissolutum, levem, etc. At poenitentia facit gravem, modestum, et est quasi magister in schola, etc.

In nostro Instituto hoc instrumentum non est determinatum, sed relictum in devotione uniuscuiusque, quia, ut dixi, variae sunt dispositiones hominum, et non convenit omnibus eadem mensura; tamen, etc.

Tertium instrumentum est silentium, quod in omni religione est. Et S. Vincentius, in libro de vita spirituali, primo loco ponit silentium, tamquam summe necessarium. Et S. Iacobus (1, 26) : *Qui putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Religiosum vocat hominem timentem Deum timore filiali, sicut dicitur de Iudith, quod timebat Dominum valde. Qui enim timet filiali timore, timet offendere Deum, et ideo diligenter custodit omnia mandata. Et quia regulares prae omnibus profitentur se timere et colere Deum, ideo per antonomasiam dicuntur religiosi. Iam igitur in religiosis ita necessarium est silentium, ut si illud non habeant, dicantur vanam habere religionem et decipere cor suum, dum putant se religiosos. Ratio est multiplex. 1ª Quia peccata linguae sunt manifesta. Qui igitur non timet offendere Deum manifeste, quomodo

credibile est quod timeat offendere in occulto? 2ª Quia facile est non loqui. Nullus enim labor, nullus dolor, nulla mortificatio est non loqui. Qui ergo in re tam facili non timet Deum, quomodo timebit in re difficili? 3ª Quia difficile est loqui, et non offendere Deum et proximum, ita ut Iacobus dicat (3, 2): *Qui non offendit verbo, hic perfectus est vir.* Itaque, sicut facile est non loqui, ita difficile loqui recte. Id quod experientia demonstrat. Nam vix umquam auditur quod in societate unus alium facto offendat, verberando. At quotidie audimus qui offendat verberando verbis, detrahendo, referendo, pungendo, etc. Et sunt offensiones istae graves et irremediabiles, etc. Qui ergo non est cautus in re tam periculosa et clara, quomodo credibile est esse cautum in ulla re? 4ª Quia silentium conservat tempus, quod est necessarium orationi, lectioni, aliisque rebus bonis faciendis. Qui igitur ita perdit tempus, quomodo credibile est eum sollicitum esse de lucro spirituali? Nam si quis diceret se cupidum lucri et pecunias effunderet, quis crederet illum serio loqui? 5ª Quia silentium est necessarium ad collectionem animi et pacem internam, quae est dispositio necessaria ad orationem et cultum animae propriae. Qui igitur negligit hanc dispositionem, quomodo credibile est eum esse amicum orationis et cultus animae suae?

Porro in nostro Instituto silentii regula est discretissima, ut notum est. Et ideo qui illam non servat, potest dicere se nullam omnino silentii curam habere, et secundum Iacobum (1, 26), *huius vana est religio.* Quid igitur mirum, si non sumus perfecti, cum desit unum ex potentissimis instrumentis?

DE PERFECTIONE

Exhortatio octava

Nunc demum probare volo perfectionem esse nobis possibilem, et facilem, et necessariam. Nam cum probatum sit non esse defectum ex parte Instituti cur non simus perfecti, forte posset aliquis dicere defectum esse ex parte imbecillitatis humanae, quae non possit pertingere ad perfectionem, vel certe nimis difficulter possit ad eam pertingere. Quod igitur sit possibilis perfectio, probatur 1° quia alioqui non diceret Christus : *Si vis perfectus esse* (Matth. 19, 21); et *Estote perfecti* (Ibid. 5, 48); 2° quia multi fuerunt perfecti omnibus actibus, ut patet ex miraculis, quae sunt testimonia divina; et ex canonizatione, quod est testimonium Ecclesiae; et ex vitis ipsorum, quae omnium iudicio sunt perfectae. Et non solum fuerunt perfecti prophetae, apostoli, eremitae, sed etiam homines, qui dabant operam conversioni animarum, et versabantur cum saecularibus, ut sancti episcopi Ambrosius, Augustinus, Martinus, Paulinus, Gregorius et alii; et multi religiosi mendicantes, ut S. Antonius de Padua, S. Bernardinus, S. Vincentius, S. Thomas et alii. Et ex nostris nemo negare potest P. Ignatium et Xaverium fuisse viros perfectissimos. Addo etiam Aloysium Gonzagam, qui in paupertate, castitate, obedientia, oratione, poenitentia, silentio, mire excelluit, etc. Discurrere per haec omnia, ut scis.

Cum igitur isti fuerint perfecti, cur nos esse non possumus? Numquid isti habuerunt alium Deum potentiorem, aut meliorem, quam nos habeamus? Alios libros, alia sacra-

menta, alia instrumenta, vel auxilia? Certe non habuerunt. Immo nos habemus plura, quia habemus eorum exempla et verba.

Sed fortasse non habuerunt nostra impedimenta? Immo habuerunt omnia, et forte maiora, id est necessitatem comedendi, dormiendi, etc.; item carnem repugnantem spiritui, daemonum insidias, mundi blandimenta, distractiones studiorum, praedicationis, confessionis, etc. Certe haec est demonstratio efficacissima. Unde S. Augustinus, lib. 8 confess., tali argumento convictus fuit possibilem esse castitatem, quia multi fuerunt casti omnium aetatum, sexuum, conditionum, et non suis viribus, sed Dei, qui omnes iuvare paratus est.

Nunc probemus esse facilem. Scriptura videtur contraria sibi ipsi. Nam de via iustorum dicitur : *Arcta est via, quae ducit ad vitam* (Matth. 7, 14); et de via impiorum : *Lata est via quae ducit ad perditionem* (ibid. 7, 13). Contra dicunt impii : *Ambulavimus vias difficiles* (Sap. 5, 7); et Christus dicit : *Iugum meum suave est, et onus meum leve* (Matth. 11, 30). Sed concordantur haec, quia perfectio est difficilis, donec aliquis efficaciter determinet renunciare omnibus. Sed postea est facilis et iucunda. Nam dum quis non renunciat omnibus, sed adhaeret variis rebus, non potest progredi in via Dei, sed laborat, sudat, etc., quia retinetur, gravatur, etc. At homo liber et nudus facillime intrat per viam et portam, quamvis angustam. Quod autem facilius sit homini libero ab affectu mundi ambulare viam Domini, quam homini onerato amore sui ipsius ambulare viam perditionis, patet quia iste servit multis dominis et a multis dependet, et tamen saepe patitur resistentiam in iis, quae cupit. At qui ambulat viam Dei perfecte, non servit nisi uni, optimo Domino, liberalissimo, cui servire regnare est. Unde Bernardus accommodat mundanis illud : *Juga boum emi quinque* (Luc. 14, 19), cum perfecti portent iugum unum suave et leve. Item qui ferventer agit, parum laborat et multum lucratur; qui negligenter agit, multum laborat et parum aut nihil lucratur. Vide Exhorta-

tionem... (1) etc. Ut autem quis efficaciter velit toti mundo renunciare et soli Deo servire, via est si credat et confidat se vere inventurum multa meliora, si dimittat terrena. Nam ideo homo non audet dimittere omnia, quia timet ne ista perdat et alia non acquirat. At si certo crederet se inventurum requiem, pacem, consolationem, facile dimitteret omnia. Ut autem credat, debet promissa Christi considerare : *Tollite iugum meum, et invenietis requiem* (Matth. 11, 29). Item centuplum accipiet in tempore hoc, et postea vitam aeternam. Item consideret exempla aliorum. Nam quo aliquis magis renunciat omnibus, eo invenitur liberior. Videtur mihi similis via perfectorum ascensui arduo, sed brevissimo, post quem invenitur pulcherrima planities, amoena, etc. Via autem imperfectorum similis est viae anfractuosae, qua ambitur mons aliquis, quae non est ardua, sed est longissima et plena praecipitiis.

Ultimo posset aliquis dicere nos non teneri ad hoc ut simus perfecti, sed tantum ut ambulemus ad perfectionem : hoc enim interesse inter episcopos et religiosos. Respondeo differentiam inter episcopos et religiosos, praecipue attendi initio ingressus sive ad episcopatum, sive ad religionem. Nam qui fit episcopus, debet esse perfectus antequam fiat episcopus, quia non fit ut acquirat perfectionem, sed ut exerceat. At religiosus non debet esse perfectus cum ingreditur, quia ingreditur ut acquirat perfectionem; tamen progressu temporis debet esse perfectus. Alioqui frustra homo quaereret perfectionem per viam religionis, si numquam perveniret. Sicut ad scholam grammaticae vel philosophiae non eunt qui docti sunt, sed qui volunt discere; tamen in spatio aliquot annorum debet esse doctus. Alioqui stultum esset frequentare scholam, in qua semper discere oporteret, etc. Sic igitur in religione non semper debemus quaerere perfectionem, sed debemus aliquando esse perfecti. Praeterea esto non teneamur esse perfecti, sed quaerere perfectionem : certe si quaeramus, ut vere tenemur quaerere, infallibiliter brevi tempore erimus

(1) *Hanc exhortationem distinctius non designavit auctor.*

perfecti. Nam ars discendae perfectionis non est coniecturalis, sicut Rhetorica et Medicina, quae non tenentur acquirere finem, sed solum fungi officio, quia finis pendet ab extrinseco; sed est ars certissima, quae pendet a Dei auxilio, quod semper est promptum, et a propria voluntate. Itaque qui post aliquot annos non evadit perfectus, convincitur non bene quaesivisse perfectionem. Et haec est ratio cur Patres aliqui dicant statum religiosorum simpliciter esse perfectum, et Christum consuluisse, non praecepisse perfectionem, quia, licet paupertas, castitas, obedientia sint instrumenta perfectionis, et non in ipsis, sed in charitate consistat perfectio; tamen haec instrumenta infallibiliter ducunt ad perfectionem, si quis iis bene utatur. Vide Eusebium, lib. 1 de demonstrat. Evangelii, cap. 8; Augustinum in epist. 89; Hieronymum in lib. contra Vigilantium, etc.

Addo ultimo quod, quamvis alii religiosi non tenerentur umquam esse perfecti, tamen religiosi, qui exercent actus episcopales, docendo, concionando, instruendo, seminando fidem, defendendo contra haereticos, etc., tenentur esse perfecti. Unde in forma Instituti, quae est in bulla papae Iulii III dicitur, post multas probationes admitti homines ad professionem vel coadiutores spirituales, quia hoc Institutum requirit homines omnino humiles et prudentes, et in vitae puritate et doctrina conspicuos. Et part. 6, cap. 3 Constitut. dicit quod considerato tempore quod expectatur ad professionem vel coadiutorum spiritualium gradum, pro certo ducitur eos fore viros spirituales, et qui in via Dei currere possint.

Cum ergo debeamus esse perfecti, possimus esse perfecti, et facile sit esse perfectum, si quis velit uti mediis nobis oblatis, quae excusatio nobis esse poterit in iudicio et in morte?

Optima ratio proficiendi mihi videtur, meditari libellum S. Vincentii de vita spirituali, vel tres libros Gersonis, vel (idque potissimum) summarium Constitutionum, cogitando attente quid sibi velint illa, et quae sint causae, cur ego non diligenter illa impleam, et desiderando, petendo a Deo, et proponendo efficacissime illa implere.

DE PERFECTIONE

Exhortatio nona

QUAE EST DE MISERICORDIA DEI

Misericordia Dei significatur per latitudinem, quia *misericordia Domini plena est terra* (Psalm. 32, 5). Sed in hac ipsa latitudine cogitare possumus latitudinem, longitudinem, sublimitatem et profunditatem.

I. Latitudo consistit in eo, quod Deus tollit omnes miserias ab omnibus rebus, et solus ipse hoc facit. Tollit omnes miserias. Nam aliae res tollunt aliquas miserias, ut panis famem, potus sitim, vestis nuditatem, magister ignorantiam etc.; at Deus omnes miserias tollit, immo reliquae res non tollerent ullam miseriam, nisi Deus eis daret virtutem hoc faciendi. Praeterea non solum tollit Deus miserias visibiles, sed etiam invisibiles, quas cavere non possumus humano ingenio, nimirum insidias daemonum, qui sunt potentissimi, astutissimi, pessime in nos animati et plurimi. Exemplum de lupis invisibilibus grassantibus in gregem. Nec solum tollit Deus miserias invisibiles oculis corporis, sed etiam invisibiles oculis mentis, id est quas non intelligimus nec cogitamus, ut sunt errores et caecitates animarum. Multi enim putant se bene habere, qui laborant gravissime in anima. Propter huiusmodi, omnes homines sunt ingrati, quia non cognoscunt minimam partem beneficiorum Dei. Unde dicit Dominus, Luc. 6 : *Benignus est super ingratos et malos.*

Deinde utitur Deus misericordia erga omnes res. Non enim tollit omnes miserias unius rei aut duarum, ut faciunt homi-

nes, sed omnium rerum etiam infidelium, et ipsorum daemonum, qui sine misericordia Dei non viverent. Solus autem Deus habet misericordiam istam universalem, quia solus ipse caret omni defectu. Debet enim qui tollit unum defectum, carere illo, et qui tollit omnes, carere omnibus. Hinc dicitur: Dei proprium est misereri.

At, inquies, si Deus tollit omnes miserias, unde tot miseriae in mundo? Respondeo. Deus potest tollere omnes miserias, sed de facto non tollit nisi quas Sapientia ipsius iudicat esse tollendas. Multae autem sunt miseriae quas non expedit tollere, vel propter bonum commune, vel propter bonum particulare; et proinde misericordia est eas non tollere. Exemplum de S. Paulo, cui Deus non abstulit tentationem, quia utilis erat ad humiliationem.

II. Longitudo consistit in eo quod Deus incipit misereri, cum educit ex nihilo, et semper pergit, donec per longissimam viam nos ducit a nihilo ad summum bonum, ut faciat deos per participationem. Sunt autem in hoc itinere quattuor loca, unus distans ab alio, et propter ista quattuor loca dicitur Deus in ps. 102: *Miserator et misericors, longanimis et multum misericors.* Primo igitur Deus est miserator, dum nos ex nihilo facit esse aliquid, quod est iter quasi infinitae longitudinis; 2° est misericors, dum ex peccatoribus facit iustos. Educit enim nos ex lacu miseriae et ex luto faecis (cf. Psalm. 39, 3). Ut enim qui est in profondo lacu, non potest respirare, turbatur ei cerebrum ut vix cognoscat ubi sit, non potest ambulare nec se iuvare, et est proximus morti; ita qui est in peccato mortali, non potest ambulare, quia non potest mereri; non cognoscit ubi sit, sed iudicat unum pro alio; non sperat pro illo statu vitam aeternam; est proximus inferno, ut ille qui est in carcere iam damnatus ad patibulum; non potest suis viribus, nisi Deus eum praeveniat, se liberare. Ex hoc profundo nos liberat misericordia Dei, cum nos convertit, etc.; 3° est longanimis, cum nos ducit ad perfectionem. Nam post conversionem et iustificationem, non statim homo est perfectus, sed remanent mali habitus, et ipsa concupiscentia

paulatim mortificanda et virtutes acquirendae. Sicut is qui eruitur de lacu, debet paulatim extergere lutum et ambulare. Unde ibidem subditur : *Et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (Psalm. 39, 3). In hoc autem itinere Deus est longanimis, quia tolerat nostram ingratitudinem, rusticitatem et tepiditatem. Saepe habet occasionem relinquendi nos, tamen patiens est. Et haec est insignis misericordia. Non enim inveniretur inter homines dominus, qui servum toleraret, qui cum eo loquens respiceret alios, vel magister qui discipulum toleraret qui per multos annos nihil proficeret; 4° est multum misericors, cum nos perducit de via ad patriam. Illa enim tanta misericordia est, ut respectu eius nulla alia videatur misericordia. Unde dicitur in ps. (35, 6) : *Domine, in caelo misericordia tua*, quia vera et perfecta misericordia non est, nisi in caelo. Illa enim sola tollit omnem miseriam. Vere dicitur : *Misericordia Domini plena est terra* (Psalm. 32, 5); sed verius, misericordia Domini plenum est caelum. Nam terra plena est miseria et misericordia; at caelum est plenum sola misericordia. Ideo dicitur : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus* (Psalm. 102, 4), id est plane circumdat undique misericordia, ut nullus locus relinquatur miseriae. Et sicut damnati sunt in lacu miseriae, ita beati in lacu, immo in mari misericordiae. Tanta certe est illa misericordia, ut libenter ferendum sit, ut Deus hic non misereatur, sed severe puniat, ut in aeternum misereatur. Sic mater Machabaeorum hortabatur filios ut constanter morerentur. *Suscipe,* inquit, *mortem, ut in illa miseratione te recipiam* (II Mac. 7, 29).

III. Altitudo misericordiae consistit in eo quod misericordia Dei oritur ex altissima causa. Nam aliqui miserentur aliorum ob proprium interesse. Haec est infima misericordia. Alii miserentur, quia personae sunt coniunctae, ut filii, fratres, cognati, conterranei, etc. Haec est paulo altior. Alii miserentur, quia creaturae Dei sunt, et ideo miserentur etiam externorum, inimicorum, animalium, etc. At super haec omnia est misericordia Dei. Nam Deus miseretur, quia bonus est. Nam si quaeras cur misereatur iustorum, potest dici quia filii et

amici eius sunt. Si quaeras cur misereatur peccatorum, potest dici quia creaturae eius sunt. At cur creavit, cur praedestinavit ad regnum, nisi quia bonus est? Itaque causa misericordiae Dei in ipso Deo reperitur, proinde altissima est.

IV. Profunditas misericordiae infinita est. Nam aliqui miserentur solo verbo, et haec superficialis est. Alii opere, sed sine suo incommodo. Haec est paulo profundior. Alii cum suo incommodo, si teneantur, vel necessitas sit. Haec valde profunda est. Exemplum de S. Paulino, qui se ipse vendidit pro filio viduae. Alii cum incommodo, etiamsi non teneantur, nec necessarium sit, sed melius sit. Haec profundissima est. Deus 1° miseretur verbis, consolans nos per Litteras sacras, per concionatores, etc.; 2° opere, sine suo incommodo, dans nobis tot beneficia; 3° cum incommodo gravissimo, usque ad mortem crucis; 4° cum non teneretur; 5° cum non esset absolute necessarium.

Itaque vere apparuit benignitas Dei in Christi nativitate et passione. Quis enim possit dicere se non videre misericordiam Dei, si consideret Christum in praesepi vel in cruce? Sed adiecit Deus adhuc profundiorem misericordiam. Nam voluit etiam nos esse participes honoris et gloriae in opere, quod ipse fecit. Iusta divisio videbatur esse illa, quam fecit angelus dicens : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax* (Luc. 2, 14). Nobis utilitas, Deo gloria. At Deus totam utilitatem nobis reliquit, gloriam autem nobiscum partiri voluit. Nam idcirco voluit ut nos mereremur, ut coronare nos posset : non quod indigeret nostro auxilio, sed ut essemus participes honoris. Exemplum de sene quodam apud Paulinum in epist. 14.

Hanc misericordiam Dei imitari debemus, si vere imagines sumus. *Estote,* inquit, *misericordes, sicut pater vester misericors est* (Luc. 6, 36). Et primum misereri debemus propriae animae nostrae. Corporis enim satis miseremur, immo tantopere miseremur, ut animae obliviscamur. Si quid corpori desit, statim advertimus et procuramus. Et si quis uno die non comederet, aut una nocte non dormiret, quantum conquereretur! At anima saepe ieiunat integris hebdomadibus, saepe

languet, febricitat, et nemo advertit. Itaque visitanda est saepe et inquirendum quomodo valeat, etc. Certe sancti ita solliciti erant de anima, ut obliviscerentur corporis. Exempla sanctorum Ioannis Baptistae, Petri, Pauli, Francisci, Ignatii, qui singulis horis visitabat animam suam, et Aloisii, etc.

Deinde misereri oportet animabus proximorum, quae in tanta copia descendunt ad inferos, et tamen pro illis Christus mortuus est. O qui cognosceret pretium animarum et stragem, quam in illis diabolus facit, etc.

Tertio, miserendum corporibus proximorum, non verbo et lingua. Et qui non miseretur corporum quae videt, quomodo miserebitur animarum, quas non videt? etc. Hic commendetur valetudinarium.

DE PERFECTIONE

Exhortatio decima

DE MISERICORDIA [DEI]

Dixi de misericordia Dei in genere. Nunc de quadam misericordia speciali erga timentes Deum. Nam in Ps. 102 determinatur promissio misericordiae ad timentes Deum : *Secundum altitudinem caeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.* Item : *Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Item : *Misericordia Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes se.* Unde accepit B. Virgo illud : *Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus se* (Luc. 1, 50).

Primo igitur misericordia Dei undique protegit timentes Deum. *Qui coronat te,* inquit, *in misericordia et miserationibus* (Psalm. 102, 4). Et non loquitur de corona capitis, sed de scuto totum corpus circumdante, ut : *Scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos* (Psalm. 5, 13).

2° Ne quis suspicetur murum misericordiae, qui circumdat timentes Deum, esse tenuem et fragilem, addit : *Secundum altitudinem caeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.* Id est, murus iste est crassissimus et crassior quam sit distantia caeli a terra, proinde impenetrabilis est.

3° Ne quis cogitet hostes fortasse esse intus, nimirum peccata, unde mala omnia oriuntur, addit : *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras* (Psalm. 102, 12). Id est, si serio agas et vere timeas Deum, non est quod scrupulis agaris propter peccata praeterita et iam confessa vel oblita. Nam Deus longissime illa proiecit a te, ut tibi nocere non possint.

4° Ne quis existimet hanc misericordiam non diu duratu-

ram, subiungit : *Misericordia Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum.* Ab aeterno coepit, quia ab aeterno Deus cognoscit timentes se, et in aeternum durabit, si ipsi non desinant timere. Hinc dicitur : *Melior est misericordia tua super vitas* (Psalm. 62, 4), quia vita corporalis deserit te, at misericordia non te deseret, sed maxime aderit, cum maxime opus erit, nimirum in egressu de corpore, etc.

5° Ne forte dicas : Etiamsi ego timeam Deum, tamen unde sciam tantam fore misericordiam eius erga me, cum ipse sit altissimus et nullius egeat, ego pulvis et cinis, et naturaliter servus eius, et tenear illi obedire, etiamsi nihil mihi dare voluerit, ideo addit : *Quomodo miseretur pater filiorum, miseretur Dominus timentibus se* (Psalm. 102, 13). Quod ut confidas vera esse quae dixi, cogita quod Deus non habet te pro servo, sed pro filio. Nam de spiritu suo dedit tibi, et sicut pater carnalis est pater secundum carnem, quia ministravit tibi de carne sua, ita, etc. Quis est ille pater qui, si posset, non faceret filium suum regem, sapientissimum, ditissimum? etc. Quid igitur faciet pater omnipotens, qui summe amat, quia pater est, et omnia potest, quia est omnipotens?

At, inquies, aliqui sunt patres crudeles. Verum Deus non est talis; sed contra, est *pater misericordiarum et Deus totius consolationis,* ut dicitur 2 Corinth. 1. Ubi nota dici patrem misericordiarum hebraica phrasi pro patre misericordissimo et Deum totius consolationis pro Deo affluentissimo consolationum. Nota etiam dici patrem misericordissimum, quia tollit miserias, quas iudicat tollendas, et Deum totius consolationis, quia consolatur nos in illis miseriis, quas non vult tollere.

Itaque hoc est certum, quod Deus timentibus se vel tollit tribulationes, vel dat in illis ferendis maximam consolationem. Illud enim *totius consolationis,* duo significat 1° quod consolatur in omni genere tribulationum, ut ibi subdit Apostolus : *Qui consolatur,* inquit, *nos in omni tribulatione nostra.* Et hoc est proprium Dei. Nam creaturae consolantur in aliqua re, sed in multis aliis non habent modum consolandi, quia nec

intelligunt causam tribulationis, nec valent ullis verbis aut rebus aequare magnitudinem tribulationis. At Deus in omni omnino tribulatione potest consolationem adferre. 2° Significat quod plenissime consolatur, ita ut magis libeat habere tribulationem cum tali consolatione, quam utroque carere. Et qui ita se habent, sunt apti ad alios consolandos, *ut possimus*, inquit, *et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Item : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione* (II Cor. 7, 4), etc. Hoc autem ita esse patet tum ab effectu; numquam enim martyres, anachoretae et alii sancti tanta passi fuissent tam alacriter, nisi habuissent incredibilem consolationem. Tum à causa; nam magna ista consolatio oritur ex eo quod Deus illuminat mentes ad cognoscendam magnitudinem et pulchritudinem caelestis patriae, et simul infundit quandam intimam fiduciam, et quasi certitudinem ad eam brevi perveniendi, iuxta illud Iob 26 : *Annunciat de ea,* id est luce increata, *amico suo, quod possessio eius sit.*

Nonne esset bonum experiri veritatem harum promissionum? Quibus ista promittuntur? Timentibus Deum. Qui sunt qui vere timent Deum? Qui toto corde student implere eius voluntatem. *Beatus vir qui timet Dominum; in mandatis eius cupit nimis* (Psalm. 111, 1). Ille valde timet Dominum, qui valde cupit implere Domini mandata. Ille qui ambulat per pontem angustum, editum, semifractum, et infra quem ingens est praecipitium, si non sit stultus, cautissime ambulat, prius respiciens et postea figens pedem, etc. Lex Domini est pons angustus, quia virtus est in medio tantum et indivisibiliter se habens; est editus, quia magnam habet altitudinem perfectionis. Est semifractus, quia multi violant Dei legem, et qui exempla eorum respiciunt, periculum est ne pedem figant in foramina ab illis facta. Denique imminet praecipitium mortis aeternae.

Porro nobis lex Domini non solum est lex communis data omnibus christianis, sed etiam lex implendi tria vota, quae vovimus Deo coram B. Virgine et omnibus sanctis, et saepe renovavimus. In his autem vobis 1° consideranda est sub-

stantia votorum; 2° etiam finis, id est quid praetendat Deus per haec vota. Hinc enim constabit quomodo sint observanda, si quis perfecte ea servare velit, ut oportet facere eos qui timent Deum valde.

Substantia paupertatis est nihil habere, quod quis putet suum neque disponat sine licentia. Exemplum ex lib. 1, cap. 36 hist. S. Dominici, de monacho gravissime punito, quia fragmentum panni accepit in eleemosynam, ut resarciret vestem suam, inscio superiore. Finis est puritas cordis ab amore divitiarum. *Haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra* (I Thess. 4, 3). Non placet Deo paupertas, quia paupertas, sed quia iuvat ad purgandum cor et evacuandum, ut possit impleri Deo, id est thesauro incomparabiliter meliori. Qui igitur servant substantiam voti ut nihil habeant sine licentia, tamen volunt multa superflua et pretiosa, illi non tendunt ad finem nec purgant cor; et ideo non mirum, si non inveniunt thesaurum, etc.

Substantia castitatis est nullam experiri veneream voluptatem. Et haec magno zelo servanda est ab eo, qui timet Dominum. Sicut scribitur de S. Judith, quod timebat Dominum valde, et ideo ita custodiebat se et muniebat cilicio, ieiunio, oratione, solitudine, ut nihil umquam mali de ea dici potuerit. Finis est purgare cor et evacuare ab amore deliciarum carnis, ut possit impleri Deo. Nisi enim quis effundat oleum vel acetum, non potest impleri balsamo. Non enim possunt haberi deliciae, et non amari. Ideo sancti omnes tam rigidi erant in se. Qui igitur servant substantiam castitatis, sed avide quaerunt delectationes gulae, somni, mollium vestium et similium, longissime absunt a fine voti castitatis, et ideo non mirum si carent consolationibus divinis, etc.

Substantia voti obedientiae consistit in eo ut quis exequatur mandata superioris. Sed finis huius voti est, purgare cor ab amore sui ipsius, id est proprii iudicii et voluntatis. Unde qui nihil faciunt sine obedientia, sed obedientiam trahere conantur ad implenda sua iudicia et voluntates, non assequentur finem obedientiae.

DE PERFECTIONE

Exhortatio undecima

DE IUSTITIA PUNITIVA

Sequitur ultimum attributum, quod est iustitia. Ubi sciendum iustitiam aliam esse universalem, quae continet omnes virtutes quae faciunt hominem bonum, et opponitur omnibus vitiis; aliam particularem, quae tribuit unicuique suum. Rursus particularem aliam consistere in mutua acceptione et restitutione, et dicitur commutativa; aliam consistere in sola distributione. Et hanc rursus esse duplicem, aliam quae distribuit praemia, et dicitur proprie distributiva; aliam quae distribuit poenas, et dicitur punitiva seu vindicativa.

Iustitia universalis in Deo absolute reperitur. Non enim potest Deus non esse iustissimus, id est optimus et carens omni vitio. Iustitia particularis non videtur in Deo locum habere; nam commutativa quomodo erit in Deo, qui nihil accipere potest ab alio, cum omnia sint ipsius? *Quis prior dedit illi,* inquit Apostolus (Rom. 11, 35, 36), *et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia,* id est ex ipso sunt omnia, quia ipse omnia fecit; per ipsum sunt omnia, quia ipse omnia conservat; in ipso sunt omnia, quia ipse omnia possidet. Nihil ergo illi dari potest, nec ipse tenetur quidquam restituere. Sic etiam distributiva praemiorum quomodo erit in Deo, cum omnes teneantur illi servire gratis, cum sit dominus absolutus omnium rerum? Unde ipse iubet, ut cum omnia fecerimus, dicamus : *Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus* (Luc. 17, 10). Denique punitiva non videtur necessaria in Deo, quia ipse est summus princeps et potest gratiam facere omnibus peccatoribus, et

nullum punire, cum non sit legi ulli subiectus. Ceterum non ita est, immo reperitur in Deo exactissima iustitia. Nam quamvis non posset obligari ab ullo, tamen placuit illi se obligare ad praemiandum et puniendum. Et sic promisit et pactum fecit cum angelis et hominibus, ut qui bene ageret, bona reciperet, qui male ageret, reciperet mala. Unde in Scripturis nihil saepius legitur, quam hoc, quod Deus reddere velit unicuique secundum opera sua.

Non solum promisit Deus se servaturum iustitiam distributivam et punitivam, sed etiam commutativam, vel certe distributivam cum modo commutativae, ut dicit S. Thomas. Nam bona et mala, quae fiunt a creaturis contra creaturas, accipit Deus quasi fierent sibi, et reddit mercedem, vel exigit poenam. Unde in Scripturis vita aeterna aliquando vocatur bravium, quia datur secundum iustitiam distributivam, aliquando vocatur merces, quia datur secundum iustitiam commutativam, et poena mortis aeternae aliquando vocatur vindicta, aliquando stipendium. Deus enim non solum dat bona bonis et mala malis, quod sufficit ad distributivam; sed etiam dat unicuique tantum quantum meretur, quod pertinet ad commutativam. His positis dicemus I° de iustitia Dei punitiva; II° de praemiativa; III° de iustitia universali.

I. Iustitia Dei punitiva est lata, longa, alta et profunda, ut cetera Dei attributa. Lata, quia extendit se ad omnia omnium hominum et angelorum peccata. Est enim iudex universalis et novit omnia. Ceteri iudices pauca peccata puniunt, vel quia non praesunt nisi paucis hominibus, vel quia non norunt nisi externa, vel quia ex externis non norunt legitime nisi pauca, quae probari possunt. At Deus praeest omnibus. *Non est hoc tuum,* inquit Abraham, *qui iudicas omnem terram?* (Gen. 18, 25). Et S. Iacobus (4, 12) : *Unus est legislator et iudex.* Nimirum unus est nulli subiectus et omnibus praepositus. Deinde novit Deus omnia, etiam occultissima et interna, quia scrutatur renes et corda. Et novit omnia legitime, quia habet testem omni exceptione maiorem, id est conscientiam uniuscuiusque. Si homines viderent conscientias et

aliis ostendere possent, non egerent aliis testibus. Deus non solum videt conscientias, sed etiam eas ostendere potest aliis, et ostendet in die iudicii, quando revelabit abscondita tenebrarum. Praeterea Deus potest excitare conscientiam, quando dormit, ut cum quis peccat ex ignorantia; potest etiam eam sopire, quando est erronea. Itaque semper Deus habet tunc testem. Hinc dicit Salomon : *Cuncta quae fecerit homo adducet Deus in iudicium* (Eccle. 12, 14). Et alibi Scriptura : *Scrutabor,* inquit, *Hierusalem in lucernis* (Soph. 1, 12). Ubi mira est expressio iustitiae divinae in omnibus culpis inveniendis et puniendis. Nam promittit se examinaturum Hierusalem, id est domum suam; quanto magis domos peccatorum? *Tempus est,* inquit Petrus, *ut incipiat iudicium a domo Dei* (I Petr. 4, 17). Et addit se scrutaturum, id est diligenter quaesituruin non solum per loca publica, sed etiam per abscondita et angulos et latebras, etc. Et addit in lucernis, id est accensis multis luminibus, ut res etiam minimae videri possint. Hinc scriptum est : *Si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* (I Petr. 4, 18) Beati qui sic examinant conscientiam et puniunt quotidie culpas, quas iuveniunt. Nam *si nosmetipsos iudicaremus, non utique iudicaremur* (I Cor. 11, 31).

Longitudo iustitiae punitivae consistit in eo quod Deus non obliviscitur praeteritarum culparum, nisi fuerint per poenitentiam deletae, nec fatigatur in futurum semper memorare, examinare et punire. Nec virga eius rectissima et ferrea, de qua dicitur : *Reges eos in virga ferrea* (Psalm. 2, 9), potest ullo modo flecti vel frangi, nec ob multitudinem hominum vel culparum, nec ob magnitudinem et potentiam reorum, nec ob damnum proprium. Denique extenditur punitio in aeternum, sine ulla spe fatigationis, aut inflexionis divinae iustitiae. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (Hebr. 10, 31), quia ira eius numquam finitur.

Profunditas est in eo quod Deus penetrat oculo suo infinito totam turpitudinem peccati, et ponderat exactissime meritum eius, et ideo gravissime punit. Homines ut plurimum habent stateras dolosas, praesertim in propria causa, et ideo

facile peccant, quia non magni faciunt. *Qui bibunt,* inquit Iob, *sicut aquam peccatum* (cf. Iob 15, 16). At Deus usque ad imum penetrat, et ideo quae nobis levia videntur, ille saepe invenit gravissima. Peccatum angelorum videri potuit levissimum, quia unum, quia cum magna occasione, quia in solo actu interiore, quia erant creaturae dignissimae, quibus multa indulgeri solent. Tamen Deus ponderans invenit gravissimum, et ideo punivit gravissime, ut in aeternum sint futuri omnes illi angeli miserrimi. Peccatum primi hominis videbatur leve, quia fuit unum et ut non contristaret sociam vitae, et in re alioqui indifferenti. Tamen Deus ponderans invenit tam grave, ut damnaverit eum cum tota posteritate. Et fecit illum per 900 annos agere poenitentiam. Nam ut pararet victum, vestitum, domum et alia necessaria, non habuit per multos annos ullum auxilium nec instrumentorum, nec sociorum. Moses vir sanctissimus et amicissimus Dei peccavit ad petram, subdubitando an pulsando petram virga fluerent aquae. Videbatur peccatum leve, et vere non nisi veniale fuit. Tamen Deus punivit, faciendo ut moreretur in deserto, et [non] intraret terram, pro qua laboravit 40 annis ambulando per desertum. Et cum Deuteron. 3 precaretur Deum ut permitteret illum intrare terram ad quam iam pervenerat, Deus noluit et ait : *Ne ultra loquaris mihi de hac re.* Alius propheta missus a Deo in Samariam, quia fuit seductus ab alio propheta et comedit in via, et peccavit venialiter, tamen Deus tradidit illum leoni occidendum. Simile accidit beato Iordano primo Generali Praedicatorum, qui cum valde cupivisset adire Palestinam et iam post multos labores esset in conspectu ipsius terrae, orta tempestate submersus est. Et nocte sequenti eiectus ad littus, tota nocte splenduerunt super eum faces de caelo, et postea miracula multa fecit. Sed Deus sic voluit purgare aliquam eius imperfectionem. Si in hoc mundo iudex aliquis propter verba otiosa suspenderet homines, videretur crudelissimus tyrannus, immo etiam si suspenderet propter contumeliam verbo irrogatam. At Deus, qui profunde examinat peccatum, propter venialia

occidit corporaliter, propter mortalia occidit in gehenna, etiamsi peccata levissima videantur. Nam *qui dixerit fratri suo Fatue, reus erit gehennae ignis* (Matth. 5, 22). Scribit Beda lib. 5, cap. 15 hist. Anglorum, monachum quendam laicum in morte vidisse locum sibi praeparatum in ima gehenna prope Caipham et alios interfectores Domini. Peccatum eius refertur fuisse, quia nimis comedebat et bibebat, et recreationes quaerebat, et negligebat orationem et spiritualia. Quod non videtur prima fronte magnum. Sed qui considerat magnitudinem voti, professionem paupertatis, occasiones bene agendi, ingratitudinem, etc., ille cognoscit magnitudinem peccati. Atque utinam non essent etiam nunc aliqui tales. B. Catherina Genuensis (cap. 27 et 39 vitae eius) vidit aliquoties, Deo ostendente, per intellectum turpitudinem peccati, quamtumvis parvi et venialis. Et ex illa visione aegrotavit ut fere moreretur, nimirum ex horrore et odio peccati. Et ait in illo lumine visam esse sibi eligibiliorem gehennam omnium damnatorum, quam unum peccatum levissimum. Item alias vidisse, quod si cui offerretur gloria B. Virginis Mariae, sed cum admixtione unius peccati venialis, et intelligeret perfecte magnitudinem illius gloriae et magnitudinem peccati, mallet non habere illam gloriam, quam habere cum tali mixtione, etc.

Altitudo iustitiae consistit in puritate. Res enim eo sunt altiores, quo puriores. Iustitia Dei purissima est, id est non mixta cum ulla iniustitia, etiamsi Deus puniat multa millia hominum et angelorum. Et ratio est, quia omnes sunt filii eius per creationem. Unde non punit eos propter odium, quo eos prosequatur, sed ex solo zelo iustitiae. Denique in die iudicii tam clara erit iustitia Dei ut omnes tam electi quam damnati dicturi sint : *Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum* (Psalm. 118, 137) (1).

(1) *Vacat in codice pars versa folii; et revera desunt partes 2ª et 3ª huius exhortationis.*

IN RENOVATIONE VOTORUM

Exhortatio prima

(1596. In collegio Neapolitano).

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me. Matth. 16.

Habere Christum ducem itineris et socium in via, sine dubio res est utilissima. Nam necesse est, velimus, nolimus, ambulare et pervenire ad certum terminum. Vita haec praesens est quaedam via. Et sicut in via occurrunt varia commoda et incommoda omnibus omnino itinerantibus, montes, planities, lutum, saxa, arena, silvae, flumina, regiones pulchrae, pericula latronum, bona hospitia, mala hospitia, etc.; ita in hac vita semper variantur prosperitates et adversitates. Similiter necesse est pervenire ad mortem, et per mortem ad regnum vel ad carceres perpetuos. Ratione utriusque, id est viae et termini, nihil melius quam habere Christum ducem itineris. Ipse enim scit optime viam, cum de caelo descenderit et rursus ad caelum ascenderit. Ipse potest eripere de omnibus periculis, quia *data est illi omnis potestas in caelo et in terra* (cf. Matth. 28, 18). Ipse reficere et consolari potest, quia *diffusa est gratia in labiis eius* (cf. Psalm. 44, 3). *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* (Luc. 24, 32) Et : *Curremus in odorem unguentorum tuorum* (Cant. 1, 3). Denique in termino viae solus iuvare potest, quia est Dominus gloriae et regnum possidet multis titulis, titulo hereditatis, iure emptionis et iure belli. Notum est quantum

profuerit Tobiae comitatus vel ducatus angeli Raphaelis. Multo igitur magis proderit ducatus regis angelorum. Sed quia Christus nunc non videtur, nec scimus quomodo possimus ire post ipsum, ideo ipse nos docet, ac tria dicit facienda, quorum unum est finis alterius : 1° dicit, *abneget semetipsum;* 2° *tollat crucem,* quod est medium ad abnegationem, sicut crucifixio ad mortem; 3° *sequatur me,* quod est medium utilissimum ad libenter ferendam crucem.

1° Igitur oportet abnegare se, id est habere seipsum loco hominis extranei et incogniti, vel mortui, vel inimici. Sic Petrus abnegavit Christum, quando dixit : *Non novi hunc hominem* (Matth. 26, 72). Itaque quod suggerit caro, vel etiam ratio corrupta, audiendum est quomodo si audires consilium extranei, vel hostis, a quo times decipi. Item cum occurrit aliquid patiendum, sic ferendum est, ac si illud fieret homini tibi incognito, vel inimico. Haec est mortificatio hominis veteris, hoc odium sanctum sui. Et sicut pro mortuo non quaeritur uxor, nec dignitas, nec recreatio, ita etc.

Hoc autem licet durissimum sit, tamen esse bonum patet 1° Scriptura. Nam, ut Petrus dicit, *Carnalia desideria militant adversus animam* (I Petr. 2, 11). Ut Paulus dicit, *Lex membrorum repugnat legi mentis* (cf. Rom. 7, 23); *Prudentia carnis inimica est Deo* (cf. Rom. 8, 7); *Caro concupiscit contra spiritum* (Galat. 5, 17). Nomine autem carnis intelligitur totus homo, ut ducitur principiis mere humanis. Et Ioannes dicit concupiscentiam carnis non esse ex Deo (cf. I Io. 2, 16). 2° patet exemplis sanctorum, qui omnes fuerunt hostes carnis suae, ita ut S. Bernardus nec aquam ad satietatem biberet, ut dicit Serm. 66 in Cantica. 3° ratione. Nam non potest formari Christus in nobis, nisi moriatur Adam; non potest resurgere nova vita, nisi moriatur vetus. Non potest amor Dei implere cor nostrum, nisi effundatur amor mundi. Nisi granum frumenti moriatur, numquam nascitur spica.

[Hinc (1) de S. Iacobo et Ioanne quaerentibus primas sedes

(1) *Hic locus ab ipso Bellarmino uncinis inclusus est. Vid. infra, p. 258.*

n regno Dominus ait : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiurus sum* (Matth. 20, 22) et *baptismo, quo ego baptizor, baptiari?* (Marc. 10, 38), ac si dicat : Ad gloriam non itur, nisi per passionem et mortem. Sic etiam ad gloriam in hoc mundo, d est ad perfectionem vitae spiritualis non itur, nisi per morificationem, et eam duplicem, internam et externam, sive ponte susceptam, et ab aliis illatam. Baptismus enim est otio externa, calix est potio interna. Christus externa habuit, calumnias, contradictiones, verba, etc.; interna erat oratio continua in montibus, tota nocte, pro peccatoribus, in qua indebat flumina lacrymarum, sicut in horto sudorem sanguineum, quia ipse perfecte cognoscebat gravitatem peccatorum. Ita igitur nobis necesse est interius et exterius mortificari, et totos mutari].

Quod in summa habetur in reg. 11, ubi dicitur quod oportet omnino et non ex parte horrere quod mundus amat, et amare quod mundus horret. Quod si quis attente consideret, videbit se fortasse nondum inchoasse vitam spiritualem, nondum se esse conversum ad Deum, sed decepisse seipsum umbra quadam externae religionis.

Altera ratio est, quia sumus infirmi et passionati, etc.

Veniamus ad 2^um^ : *Tollat crucem suam.*

Tollenda igitur est propria crux. Nomine crucis intelligitur obligatio quaecumque sive legis Dei, quae est communis omnibus, sive votorum, quae sunt leges particulares et includunt in se legem Dei, et aliquid amplius. Nos intelligamus vota nostra per crucem. Crux enim ex tribus lignis constabat, uno sustinente brachia, altero sustinente pedes in modum scabelli, ut Ireneus tradit, lib. 2, cap. 42, tertio sustinente corpus. Primum significat obedientiam, quae tenet brachia et manus, id est opera. Secundum significat castitatem quae tenet pedes, id est affectus et concupiscentias carnales. Tertium paupertatem, quae tenet totum corpus pendens et adhaerens ligno angustissimo et durissimo. Paupertas enim consistit in habendis paucis et vilibus.

Rursus crux est gravis cum portatur, dolorosa cum portat;

est ignominiosa utroque modo. Gravitas significat obedientiam : *Imposuisti homines super capita nostra* (Psalm. 65, 12). Cruciatus castitatem, quia tolerantur ardores et incentiva libidinis. Denique ignominia paupertatem; nihil enim magis erubescunt homines, quam pauperes videri. Non erubescunt videri casti, nec servi, immo sponte dicunt se esse servos, et subscribunt in litteris. At laceri incedere et mendicare erubescunt. *Fodere,* inquit, *non valeo, mendicare erubesco* (Luc. 16, 13). Et multi in viis tecti capite mendicant. Dicit igitur Christus cupienti suum ducatum et comitatum : *Tolle crucem tuam.* Nota singula verba. *Tolle,* sponte, voluntarie, non sicut Simon Cirenaeus. Qui enim coacti obediunt vel sunt pauperes aut coelibes, non habent Christum ducem. Unde dicitur : *Beati pauperes spiritu* (Matth. 5, 3); et : *Sunt qui se castraverunt* (Ibid. 19, 12), etc. Nec solum non habent Christum ducem, qui in saeculo, sine votis, inviti sunt pauperes, coelibes, et obedientes, ut qui sunt in triremibus; sed etiam qui in religione inviti servant vota.

Crucem. Hoc verbum indicat vota esse gravia et dolorosa ex natura sua. Et licet Christus et gratia illa alleviet, tamen sunt gravia ex se. Unde Dominus utens alia metaphora in eadem re declaranda, dixit iugum suum esse suave et onus leve. Non negavit esse iugum et onus, sed addidit esse suave et leve, quamvis revera maneat iugum et onus. Itaque in vero religioso iungenda sunt haec duo, ut vota sint et sentiantur crux, et iugum, et onus, id est repugnantia naturae et carni ac sensibus; tamen sint suavia et levia, quia per gratiam homo libenter patiatur repugnantia naturae, etc. Hinc discimus obedientiam illam non esse crucem, cum quis cum licentia facit quod vult, quia hoc non est grave ullo modo. O quot in hac re decipiuntur! Sic etiam paupertas illa non est crux, cum quis nihil habet proprium, sed cum licentia habet omnia quae desiderat, vestes, libros, cubiculum, etc., et ea ornata et pulchra ut vult. Sic illa castitas non est crux, cum quis non studet frenare concupiscentias, sed cum licentia vel etiam sine licentia dormit quantum vult, bibit quando vult, comedit

quod vult, spatiatur quando vult, recreationes quaerit et impetrat, quando vult. Ut igitur sit crux, ut minimum requiritur ut quis sit contentus in paupertate et castitate iis quae dantur, et non quaerat plura, nec meliora. Quamvis sancti, ut vere portarent crucem, non solum non dabant carni quod optabat, sed dabant contraria, etc.

Suam. Quisque debet suam tollere, non alienam. Obedientiam debet quisque facere secundum officium sibi commissum. Qui cupit mutuum officium, non tollit crucem suam. Qui habens unum officium, implicat se aliis negotiis, unde officium non bene impletur, non tollit crucem suam; qui sollicitus est quid alii facere debeant et non quid ipse, non tollit crucem suam. Et hinc est mira perversio. Nam ut plurimum solliciti sumus et anxiamur, quod alii non se bene gerant erga nos; et non cogitamus quid nos facere oporteat. Verbi gratia, tentatur aliquis contra superiorem, quod sit durus, partialis etc., et dicit : « Ubi est charitas Societatis? » Hoc non est tuum officium, iudicare vel corrigere superiorem. Tua crux est, obedire et pati, etiam iniuste, sicut Christus fecit. Unde non deberes dicere : « Ubi est charitas Societatis? », sed : « Ubi est obedientia Societatis? » vel : « Ubi est charitas, quae secundum Apostolum patiens est, omnia suffert, omnia sustinet? » Sic tentatur contra fratrem, quod falso eum detulerit, quod irriserit, etc. Non est hoc eius officium, sed optare falsa testimonia, iniurias, etc., ut dicit regula 11. Denique multa hinc pendent. Nam multi etiam non laesi, murmurant de aliis, quod non sint disciplinati, humiles, veraces, charitativi, et tamen non cogitant se non esse visitatores, sed subditos, quibus convenit attendere sibi et de aliis bene sentire.

Idem iam de paupertate, debet quisque tollere suam crucem, id est amare paupertatem sibi proportionatam. Si velit coadiutor vel novitius longam vestem, et sacerdos brevem et indecentem, neuter tollit crucem suam. Diversitas vestium sequitur diversitatem officiorum, non personarum merita, aut nobilitatem, etc. Et hoc idem videmus in saeculo varie homines vestiri pro officiorum varietate. Sed etiam circa lectos,

qui non est contentus modo Societatis, sed cupit meliora vel deteriora, ut stragula Capucinorum, non tollit crucem suam.

Sic etiam castitatem, quatenus includit privationem delectationum corporalium et puritatem animae, debet quisque accipere sibi proportionatam. Nam si quis vocatus ad iuvandos proximos, praetextu puritatis nollet audire confessiones feminarum, nollet versari cum saecularibus, nollet venire ad recreationem, is non tolleret crucem suam. Sic e contrario, etc.

Ad tollendam crucem incredibiliter prodest quod sequitur : *Et sequatur me.* Id enim significat, ut numquam removeamus oculos ab ipso, id est, in omnibus quae facimus, quae dicimus, quae patimur, inspiciamus exemplum eius. Ipse enim in omnibus nos docuit, locutus est semper utilia, fecit semper optima et mirabilia, passus est indigna. Locutus est utilia cum summa prudentia, fecit bonum cum summa benignitate, passus est mala cum summa patientia. Ipse fuit idea pauperum, castorum et obedientium, ut ostendimus hac hieme praeterita in multis exhortationibus. Sed praecipue fuit idea abnegantium se et amantium quae mundus odit, et odientium quae mundus amat. Ipse enim *non sibi placuit,* ut ait Apostolus (Rom. 15, 3), numquam quaesivit propria commoda, sed e contrario satiatus est opprobriis, et passus est quae alii inferebant mala, ac si inferrentur extraneo vel inimico eius, etc. Unde dicebat Iacobo et Ioanni, qui volebant sedere cum ipso in gloria : *Potestis bibere calicem* (Matth. 20, 22), etc.

Hic legitur in margine laterali : Ponantur hic, quae supra lineis inclusa; *cf. supra, p. 254-55.*

Ita nos debemus tolerare omnia mala externa, et intus habere perpetuam sollicitudinem pro salute nostra, timentes offendere Deum, sitientes iustitiam pro peccatis commissis, solliciti servare regulas silentii et alias.

Et quia difficile est Christum sequi, quia ipse *exultavit ut gigas ad currendam viam* (Psalm. 18, 6), dicamus illi : *Trahe*

nos post te (cf. Cant. 1, 3). Hoc dicit sponsa, id est anima perfecta; quanto magis nos imperfecti! Itaque orationi insistamus et dicamus : Trahe nos etiam invitos, stracinandoci per terra, per fango et per spine di confusioni et mortificationi, ma molto più tirandoci con l'odore et co'l gusto dei beni eterni. Sic enim *curremus in odorem unguentorum tuorum* (Cant. 1, 3). O quam facile est gustato spiritu relinquere carnem, etc.

IN RENOVATIONE VOTORUM

Exhortatio secunda

(1596. In collegio Neapoli, Barii et Salerni. In monasterio Sanctae Mariae, 1602).

Dicam de officio religiosi. Id cognoscitur ex nominibus : 1° θεραπευτὴς, id est cultor, sive religiosus. 2° regularis, sive canonicus; 3° monachus; 4° ἱκέτης, id est supplex, sive orator; 5° ἀσκητὴς, id est exercitator, sive pugil.

PRIMUM nomen est antiquissimum; nam invenitur apud Philonem in lib. de vita theorica supplicum, et apud Dionysium cap. 6 Eccles. hierarch., et continet supremum officium religiosi.

SECUNDUM nomen invenitur apud Basilium et Chrysostomum, et passim in conciliis et epistolis pontificum, et continet secundum officium, quod est medium ad primum officium.

TERTIUM nomen invenitur apud omnes scriptores graecos et latinos, et pro eodem accipit Chrysostomus et Nilus nomen philosophi. Et hoc est tertium officium religiosi, et est medium ad secundum.

QUARTUM nomen est apud Philonem in libro citato.

QUINTUM nomen est apud Basilium, qui inde ascetica nominavit libros de institutione monachorum. Et haec duo nomina continent duo officia, quae sunt efficax medium ad officium tertium, et per consequens ad 2^{um} et 1^{mum}.

Igitur PRIMUM officium est finis aliorum omnium officio-

rum, et habet pro fine ipsam perfectionem, id est perfectam charitatem, qua quis amet perfecte Deum et summe desideret illi placere, illi uniri, in eum transformari, etc. Est autem officium hoc diligenter Deum colere. Et cum saeculares colant Deum ex parte, ex parte autem colant agros, rempublicam, parentes, etc., religiosus solum Deum colit. Imitatur enim caelestem Hierusalem, quae relictis omnibus aliis curis tota vacat laudibus Dei; et si forte rebus nostris intersunt, ut angeli custodes, tamen id faciunt sine ullo suo interesse, ob solam gloriam Dei. Oportet igitur ut, quotiescumque aliquid est faciendum, cogitet sitne ad gloriam Dei id facere vel omittere; et quod est ad gloriam Dei, omnino facere, non obstante quolibet timore; et semper considerare, ex iis quae sunt ad gloriam Dei, quod est ad maiorem Dei gloriam, et hoc semper facere, non obstante quolibet damno proprio. Hoc faciebat P. Ignatius. Unde sunt omnes Constitutiones plenae illis vocibus : « Ad maiorem Dei gloriam ».

Ut hoc primum officium exerceatur, nullum est efficacius medium, quam SECUNDUM officium, id est regularem esse. Dicitur regularis, qui in omnibus actionibus sequitur regulam obedientiae, praesertim votivae. Qui enim omnia facit ex voto obedientiae, in omnibus honorat Deum, ac si sacrificia illi offerret, immo magis, cum scriptum sit : *Obedientiam volo, non sacrificium* (cf. Ose. 6, 6; Matth. 9, 13). Et ratio est triplex : 1ª quia in nulla re magis ostenditur maiestas principum in hoc mundo, quam quod obeditur ministris ipsorum, etiam infimis et inermibus, ut cum satellites parvo baculo sistunt magnos dominos, etc. Ita igitur, etc.; 2ª quia illa potestas principum exercetur rarissime, at in religione exercetur quotidie in rebus omnibus; 3ª quia illi subiciunt corpus, non voluntatem; at hic ipsa voluntas subicitur, et damus Deo optimum quod habemus. Unde sapienter dixit Gregorius meliorem esse obedientiam quam victimas, quia *per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur.* Et licet sacrificium missae sit multo nobilius, tamen illud offerimus in persona Christi. At in persona nostra nihil offerre possumus maius

propria voluntate. Itaque certi sumus, si obedientes sumus, nos in omni actione sacrificare Deo, et per hoc facere quod est ad gloriam eius, et per hoc esse veros religiosos.

Ut officium secundum exerceatur, optimum medium est officium TERTIUM, quod significatur per nomen monachi, et anachoretae, et philosophi christiani. Monachi dicuntur quasi soli, non quod soli vivere debeant, sed quod renuncient, ut ait Dionysius, in 6 cap. Eccles. hierarch., omnibus rebus divisibilibus, et soli monadi incumbant. Sic etiam anachoretae dicuntur, quasi separati a toto mundo, et soli Deo inhaerentes. Philosophi dicuntur religiosi a Chrysostomo et a Nilo, quod eum teneant [locum] inter christianos, quomodo philosophi veteres inter gentiles. Erant enim philosophi contemptores rerum temporalium, ut soli sapientiae operam darent. Et nos quidem non sumus monachi vel anachoretae nomine, nec habitu, nec observantia quadam exteriore, sed debemus esse spirituales monachi et anachoretae, si volumus esse veri regulares et religiosi. Impossibile enim est esse hominem vere regularem, id est obedientem, nisi sit separatus per affectum ab omni re temporali. Exemplum de oculo, qui ideo libere videt omnes colores, quia nullum connaturalem habet, et de vexillis, quae sunt in turribus, quae ideo liberrime agitantur ab omni vento, quia non habent inclinationem ad ullam partem, et sunt separata a ferro, in quo versantur. Nam terra, quae inclinat deorsum, non potest facile moveri sursum, etc. Et qui adhaeret alicui rei, non potest amoveri sine violentia. Sic verus monachus non adhaeret mundo, in quo est, nec inclinatur, etc. Ideo est verus obediens. Beati qui ad hanc solitudinem pervenerunt. De hac enim vere dici potest, quod ait Hieronymus de solitudine corporali : *O desertum vernans floribus Christi!* Vere enim, si ulla est in hoc mundo vera consolatio, illa est in hac solitudine, ubi desunt omnes terrenae consolationes. Non enim dignatur divina consolatio misceri terrenis consolationibus, nec verbum Dei misceri verbis hominum. *Ducam,* inquit, *eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius* (Ose. 2, 14). Hoc autem verbum immedia-

tum Dei continuo docet, illuminat, persuadet, consolatur, inflammat, explanat omnes difficultates, etc. Sed totum hoc non fit, nisi in solitudine.

Ut hoc tertium officium exerceatur, sunt necessaria QUARTUM et QUINTUM, quae significantur per nomina supplicum et exercitatorum. Haec duo sunt duae alae, quibus volatur ad solitudinem cordis, oratio et exercitatio. Vult enim Deus nos iuvare et fere totum facere, sed requirit ut confidamus in eo et petamus auxilium, et simul faciamus quae possumus. Exemplum ex epistola S. Paulini ad Macharium de illo sene, qui relictus fuit in navi, etc. Duo requiruntur ut terra fructificet 1° de caelo pluvia; 2° de terra labor hominis in arando, serendo, metendo, etc. Si alterum desit, nihil boni oritur. Ita ut fructificet anima, requiritur auxilium Dei invocatum per orationem. Nam pluvia descendit, si vapores ascendant. Posset Deus sine vaporibus pluere, ut fecit tempore diluvii, et posset sine labore nostro producere omnes fruges, ut fecit initio mundi. Tamen ista non sunt ordinaria. Itaque oportet serio dare operam orationi, si volumus proficere. Oportet etiam serio exercere opera virtutum ut patientiae, paupertatis, humilitatis, obedientiae, etc., quaerendo occasiones et non fugiendo laborem, etc. Nunc monebo aliqua, in quibus exerceamur.

1° Admonendi sunt SACERDOTES, praesertim seniores, ut monet S. Bonaventura, ut sint exemplo aliis in omni bono opere et non velint privilegia, quantum fieri potest; quia iuniores non vident opera quae fecerunt, sed quae faciunt, et si viderint eos non observantes, vel scandalizantur, vel imitantur et dicunt : « Ille sic facit; cur non ego? ».

SCHOLARES admonendi sunt modestiae, quae est virtus propria iuvenum. Immodestia notata est 1° in plateis, pendentibus brachiis; 2° in schola, ridendo et loquendo coram externis et religiosis; 3° in loquendo verba iniuriosa per iocum; 4° in mensa, capiendo aliquid et reservando, ubi peccatur contra paupertatem, contra temperantiam et contra decentiam.

Coadiutores admonendi sunt humilitatis, quia exaltantur in religione et inde erubescunt proprii status, et cupiunt videri aequales sacerdotibus in omnibus, refugiunt officia vilia, quae non refugiebant in saeculo. Ergo necesse est ut intelligant se fratres nostros esse, sed habere officium famulorum ordinarium, sicut nos habemus extraordinarium, cum lavamus ollas, etc. Itaque sunt sicut pedes in corpore; et quia honor externus sequitur officium, ideo debent honorare sacerdotes et scholares, etc.

In universum admonendi sumus circa locutionem 1° in genere, quia non servatur regula silentii, praesertim finita recreatione; 2° in specie. Quattuor peccata committuntur, notata in ps. 90 : *Non timebis a timore nocturno,* id est a murmuratione; *a sagitta volante per diem,* id est punctione; *a negotio perambulante in tenebris,* id est relatione murmurationis; *a doemonio* (1)...

(1) *Ita desinit exhortatio in parte recta folii, vacat autem pars versa.*

DE HUMILITATE

Exhortatio prima

(In collegio Neapolit. 1597)

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis (I Petr. 5, 6).

Inchoaturus ultimam visitationem in hoc collegio, tractare volo de illa visitatione vere ultima, quam faciet Deus in die novissimo. Faciet enim Deus visitationem mirabilem; nam accipiet informationem non a lingua, quae potest mentiri, sed a conscientia, quae non potest. Tunc enim illuminabuntur abscondita tenebrarum, et manifesta erunt consilia cordium. Finis autem visitationis non erit ordinare vel remediare etc., sed praemiare vel punire. Porro sanctus Petrus, conscius secretorum magni illius visitatoris, dat nobis unicum praeceptum, ut nobis visitatio illa bene succedat, nimirum ut humiliemur sub potenti manu Dei. Nam ut quis securus reddatur de profectu et perseverantia, nihil utilius humilitate, quae est custos et mater omnium virtutum, sicut cum quis altum fundamentum iecit, secure aedificat quam alte voluerit.

De humilitate dicam quattuor : 1° quid sit humilitas, et signa eius. 2° quam sit necessaria. 3° quam utilis. 4° quae media ad eam acquirendam. Et tunc dicemus de humilitate Christi, quod restabat ad finienda quae proposuimus anno superiore.

Quoad primum. Humilitas est virtus, quae frenat appetitum, ne feratur inordinate in excellentiam propriam; est enim superbia amor inordinatus propriae excellentiae. Unde

non est contraria magnanimitati, quae fertur ordinate in excellentiam, sed est contraria superbiae, sicut magnanimitas est contraria pusillanimitati. Humilitas tenet hominem ne elevetur supra se. Magnanimitas tenet eum, ne cadat infra se.

Sed quia superbia notior est, quia communior, videamus quid illa sit, et inde colligemus quid sit humilitas. Igitur videndum quae sit excellentia, quam amare est superbia. Primum enim excellentia vera et conveniens potest et debet appeti, ut aequalitas angelorum, visio Dei, sedes iudicialis cum Christo. Item innocentia, charitas, humilitas et similia, quae faciunt hominem vere magnum et gloriosum. Praeterea appetitio loci superioris in hoc mundo, ut appetere episcopatum, rectoratum, sacerdotium, doctoratum, etc., non est bona ut plurimum, quia non est utilis ad veram excellentiam, immo periculosa et a sanctis vere prudentibus non quaesita, sed recusata. Unde et Dominus fugit ne fieret rex. Tamen non est semper superbia, sed ambitio. Sic etiam amor laudis et honoris, saepe est vana gloria, non superbia. Quid igitur est superbia? Amor excellentiae, quam quis existimat se habere, cum non habeat; et ideo vult esse super alios, aut non subesse aliis, quia iudicat se esse meliorem, prudentiorem, ingeniosiorem, etc., quam sit. Unde superbia potest inveniri in omni genere hominum, etiam vilissimorum, et qui non aspirant ad ullum gradum altiorem.

Distinguit recte S. Gregorius quattuor species superbiae. Nam aliqui superbiunt, quia putant se esse plus quam sunt. Alii putant se esse id quod sunt, sed a se, non ab alio. Alii agnoscunt se esse ab alio, sed ob merita propria. Alii agnoscunt se esse quod sunt ab alio, et gratis, sed putant alios non habere quantum ipsi habent. Horum omnium habemus exempla in Scripturis. De prima specie in Angelo, qui putavit se non egere Deo, et esse similem Altissimo; et in Sennacherib, qui dicebat non posse Deum liberare Hierusalem de manibus suis, etc. De secunda specie in Nabuchodonosor, qui dicebat : *Nonne haec est Babylon, quam ego aedificavi?* (Dan. 4, 27) etc. Unde factus est similis bestiis, donec intel-

lexit regna dari a Deo, etc. De 3ª specie in neophytis, de quibus Paulus : *Non neophytum, ne in superbiam elatus* (I Tim. 3, 6). De 4ª specie in Phariseo, qui Luc. 18 agnoscebat sua bona a Deo, sed putabat se meliorem publicano.

Contra igitur humilitas est odium ordinatum propriae vilitatis; sive, ut S. Bernardus definit, *humilitas est virtus, qua quis ex vera sui cognitione sibi ipse vilescit.* Ubi istud *vilescit* non solum intelligi debet de actu intellectus, qua quis parvi aestimat, sed etiam de actu voluntatis, quae afficitur erga se, ut afficii solemus erga res viles, quas contemni laetamur et magnifieri dolemus. Possunt etiam hic distingui quattuor illae species, nimirum ut humilis sit qui putat se ex se nihil esse, et si quid est, ex dono Dei esse; et ex dono vere gratuito, et alios omnes maiores esse. Exempla verae humilitatis plurima adduci possent ut Christi, Hilarionis, Paulini, Alexii, Carbonarii, Pinuphii, et aliorum. Sed duo volo adferre, unum viri, alterum feminae. S. Macharius, cum esset iuvenis et se exerceret prope vicum quendam, accusatus fuit quod iuvenculam quandam gravidam fecisset. Inde plurimas passus est contumelias verborum et verberum per totum vicum, et tandem damnatus ut aleret illam. Is quieto animo laborabat dies et noctes, ut victum sibi et iuvenculae compararet. Tandem illa in partu cum esset in maximis doloribus, nec parere posset, confessa est veritatem. Unde totus populus cucurrit ad sanctum, et certatim illum honorare studebat. Sed ipse aufugit in aliam solitudinem, etc. Itaque vere voluit despici et horruit gloriari. Mulier erat in quodam monasterio virginum, quae finxit se fere fatuam. Unde addicta est culinae et omnibus operibus laboriosis totius domus, ac si iumentum esset. Et praeterea quotidie ludebant cum ea; nam aliae proiciebant in eam aquam sordidam, alia ponebat sulfur ad nares eius, etc. Et quia ipsa non resistebat nec murmurabat, id totum tribuebatur simplicitati et fatuitati eius. Tandem revelatum est S. Serapioni illam esse perfectissimam coram Deo, et se quoque perfectiorem. Ivit ad monasterium, vidit omnes moniales, quae comparuerunt obviam viro sanctissimo, praeter

illam. Rogavit an aliqua superesset. Responsum est nullam, praeter unam fatuam. Iussit eam vocari. Tunc procidit coram ea, et petiit benedictionem ab illa, et declaravit sanctitatem eius. Tunc omnes moniales coeperunt veniam petere ab illa. Sed ea noctu aufugit, nec amplius comparuit. Ivit enim ad alium locum, ubi incognita viveret. Haec est igitur vera humilitas.

DE HUMILITATE

Exhortatio secunda

Sed quia difficile est non solum habere hanc virtutem, sed etiam cognoscere in se latentem superbiam, volo percurrere duodecim gradus sive signa humilitatis, quae sunt apud S. Benedictum. Porro difficulter deprehendi latentem superbiam docet S. Gregorius lib. 24 Moral., cap. 30 : *Hoc vitium,* inquit, *quanto magis patimur, tanto minus videmus. Sic quippe in mente superbia, sicut caligo in oculis generatur... Quo se haec latius dilatat, eo vehementius lumen angustat.* Et Richardus in cap. 7 Canticorum : *Quis,* inquit, *vetustam et inclitam superbiam, quis occultas eius radices atque subtiles cogitationes, quibus, ut plurimum, latenter irrepit, nisi Deo susurrante, id est occulte revelante, cognoscat?*

Sunt igitur consideranda signa humilitatis (1), cuius contraria sunt signa superbiae. Duo sunt ex parte intellectus 1° credere se indignum et inutilem ad omnia; 2° credere se esse omnibus viliorem. Duo ex parte voluntatis. 1° timere Deum, et memorem esse omnium mandatorum eius. 2° inimicum esse propriae voluntatis. Duo ex parte gestus, qui sunt quasi verba imperfecta : 1° demissos oculos habere; 2° non esse pronum ad risum. Tria ex parte linguae : 1° non loqui sine necessitate. 2° cum est necessarium, loqui, sed parum et submissa voce. 3° fateri proprias culpas. Tria ex parte

(1) *In margine legitur :* Vide Cassianum lib. 4 de instit. renunc., cap. 39 de signis humilitatis.

operis : 1° fugere singularitatem in religione; 2° prompte obedire; 3° tolerare patienter dura et aspera.

Primum igitur signum est cognoscere se indignum et inutilem ad omnia, id est se nihil esse, nihil scire, nihil posse; et ideo indignum qui honoretur, et dignum qui contumelias patiatur. Superbus contra iudicat se aptum ad omnia, et ideo dignum qui exaltetur, et dolet si praetereatur, si non occupetur in magnis, etc. Veram autem esse humilis opinionem, et falsam opinionem superbi docet Apostolus, Gal. 6 : *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Non dicit qui se existimat esse aliquid magni, sed *qui se existimat esse aliquid.* Et ne putes illud *aliquid* habere emphasim et significare aliquid magni, addit *cum nihil sit.* Et confirmatur ex illo Exod. 3 : *Ego sum qui sum.* Si solus Deus est, ergo reliqua nihil sunt. Ut hoc intelligas, cogita quod, antequam nascereris, nihil plane eras; et cum Deus te creavit, non iuvisti eum ullo modo, nec aliquid tuum posuisti, ac ne materiam quidem. Et si Deus auferret quod suum est, nihil remaneret : proinde hoc solum est tuum. Praeterea hoc esse quod Deus tibi dedit, tum naturale, tum gratuitum, habet maximam dependentiam a Deo. Nam esse naturale, nisi Deus conservet, ruit in nihilum. Nisi moveat, nihil agit. Esse gratuitum, nisi protegatur et inseparabiliter a Deo iuvetur, continuo deficit. Experimur omnes, cum relinquimur a Deo, nos continuo arescere, tabescere, turbari, agitari a tentatione in omnem partem. Unde merito dixit Abraham : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (Gen. 18, 27), id est mobilis sicut pulvis, et sterilis sicut cinis. Et David : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (Psalm. 142, 6). Terra enim sine aqua ne pilum quidem herbae gignere potest. Et Isaias et Petrus et Jacobus dicunt : *Omnis caro foenum* (Is. 40, 6; I Petr. 1, 24; cf. Iac. 1, 11). Quid enim vilius foeno? Nihil parit, movetur ad omnem auram, siccatur ad primum solis radium, et combustum nihil relinquit nisi parum fumi. Talis est ex se omnis homo.

Cogita 2° quod homo peccator (quales omnes fuimus, et

etiam sumus), vilior est limo terrae, et non solum inutilis, sed etiam indignus, ut dicit S. Benedictus. Nam limus sinit se calcari, non resistit calcanti, immo descendit libenter ad ocum imum, et quasi confitetur suam vilitatem. At homo peccator non solum est nihil ex se, sed etiam resistit Deo, qui solus vere est, et impedit eius operationem, et quantum n se est, destruit omnia bona quae Deus fecit et faceret, si homo non resisteret. Nam peccatum est proprium hominis et convenit ei, quatenus nihil est. Prima enim radix defectibilitatis est esse ex nihilo. Nec solum homo resistit Deo, sed resistit in suam perniciem. Nam, ut docet S. Bonaventura in Stimulo divini amoris, nemo magis laedit hominem, quam ipse se. Et ideo sancti omnes hortantur ad odium sui ipsius. Deus creavit animam ad imaginem suam : et homo deturpavit hanc imaginem, quamvis non plene delere potuerit, ut imaginem diaboli depingeret. Deus impleverat animam optimis liquoribus gratiae et virtutum; homo per peccatum effudit hos liquores et implevit eam teterrimis liquoribus, ita ut vas contumeliae evaserit dignum proici in cloacam inferni. Deus misit filium suum unicum, et voluit eum sudare, vulnerari et occidi, ut pararet balneum animabus nostris salutare. Et facta est anima per baptismum dealbata in sanguine filii Dei, pulchrior solis radiis, soror angelorum, sponsa Dei, digna quae in coelis sederet. Et homo rursum impius in seipsum tantum Christi laborem, tot sumptus eius in momento perdidit, et se iterum sordidavit et vulneravit magis quam antea fuisset. Quid igitur addi potest ad hanc impietatem? Et tamen est aliquid peius. Nam homo non solum sibi nequam est, sed etiam cum Deo pugnare nititur pro diabolo, et quidem armis Dei; quomodo si pater amantissimus nihil cogitaret, nisi quomodo filium ditaret, et ipse omnes illas divitias converteret in auxilium hostis patris sui. Unde Dominus dicit quod Deus solem suum oriri facit super ingratos et malos. Certe qui posset haec bene intelligere et recordaretur se aliquando Deum offendisse mortaliter, non posset non valde irasci in seipsum, et cupere ab omnibus conculcari in poenam

tantae malitiae. Et nunc quoque in religione post tot beneficia Dei quid agimus, nisi quod semper impedimus manum Dei, qui cuperet nos ornare, illustrare, perficere? Scribit S. Basilius in Hom. de ieiunio, quod Deus instar apis vellet in alveario animae nostrae mel suavissimum producere, sed nos semper fumo superbiae illum fugamus. Et B. Catherina Genuensis vidit aliquando Deum instar solis quaerentem omnes rimas cordis ut lumen suum infundat, sed nos e contrario diligentissime obstruere omnes aditus. Alioqui cur in schola Dei tot annis tam parum proficimus? Certe magister doctissimus est, et ad hoc nos vocavit, ut doctissimos faceret. Nec cessat ipse docere; sed nos occupati in nugis, non attendimus.

Porro qui ista bene cogitant, intelligunt suam miseriam et in abysso nihilitatis suae ita immerguntur, ut totus mundus non possit eos erigere in superbiam. Quantumvis enim laudentur, praedicentur, exaltentur ad dignitates et honores, ipsi tamen non inflantur, quia sciunt se nihil esse. Et quia sciunt etiam res omnes nihil esse, et vident in mundo nihil esse nisi Deum, et radios quosdam eius ubique diffusos, ideo nihil mirantur, nihil magnifaciunt nisi Deum, et corde alto et elevato incedunt, exonerati seipsis et omnibus aliis rebus, liberrime currunt ad Deum. Hoc de primo.

Alterum signum est, quod humilis non solum se inutilem et indignum credit, sed etiam neminem se viliorem credit, et se in ultimo loco ponit, et ideo non aegre fert si ab omnibus contemnatur, quia videt id iustum esse. Contra superbus iudicat se maiorem omnibus, aut certe nulli inferiorem, et ideo ferre non potest ut alicui postponatur, etc.

Sed videtur hoc contra rationem, ut quis se credat omnibus viliorem, cum saepe constet id non esse verum. Respondeo : non debet homo existimare sua dona, quae habet a Deo, esse inferiora donis aliorum, quando res est clara. Ut, verbi gratia, non debeo ego iudicare me esse imperitiorem linguae latinae vel graecae, quam sit aliquis sutor vel sartor, nec ille debet iudicare me esse doctiorem in arte suendi, quam

sit ipse. Tamen in dubio debet homo, si velit esse humilis, se postponere et magis credere aliis de mea scientia et talentis quam mihi, qui ob amorem proprium saepe fallor, etc.

Ceterum potissima comparatio facienda est de persona absolute, id est ego debeo existimare omnes alios me maiores et meliores, quia credere possum illos esse maiores in charitate et humilitate, quicquid sit de aliis. Nam humilitas respicit propria mala, et non aliorum, et contra aliorum bona, et non propria. Et etiamsi constaret mihi per revelationem Dei me esse meliorem aliquo alio, tamen possum existimare me esse illo peiorem, quia possem credere quod, si ille habuisset gratiam quam ego habui, ille est melior me. Non enim ego non pecco quia sum aliquid, sed quia Deus singulariter me iuvat, tollendo occasiones, etc. Sed quicquid sit de ratione, res est certa, quod debemus nos postponere omnibus. Nam Dominus ait : *Recumbe in novissimo loco* (Luc. 14, 10); et ipse posuit se in novissimo loco, quando lavit pedes discipulorum, et sic factus est servus servorum suorum. Et S. Petrus dicit : *Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum* (I Petr. 2, 13). Et S. Paulus dicit : *Christus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* (I Tim. 1, 15). Ubi illud *primus* non dicit ordinem temporis, nam ante illum fuerant Matthaeus publicanus et Maria Magdalena peccatrix publica; sed significat principalem. Et S. Franciscus interrogatus dicebat se esse maximum peccatorem totius mundi. Nec solum auctores pii, ut Bernardus, S. Vincentius, Climacus, Thomas de Kempis et alii docent illam doctrinam, sed etiam viri docti in scholastica, ut Albertus in lib. de adhaerendo Deo, et alii. Denique nostra regula iubet ut omnes existimemus in animo nostro superiores nobis.

Ex hoc autem quod quis existimat se omnibus viliorem, sequitur ut non possit ferre honorem et libentissime amplectatur confusionem. Exempla duo supra allata sunt. Duo alia nunc adferam. Unum est apud Gregor. lib. I Dialog., cap. V, de Constantio mansionario, qui accommodabat in ecclesia lampades, etc.; alterum in lib. 3 de Vitis Patrum, cap. 105, de

abbate sancto, qui vocatus ut curaret aegrotum, et videns multos sibi occurrere honoris causa, ipse accedit ad quandam proximam aquam; nudavit se et coepit lavare pannos suos. Tunc is qui eum vocaverat, dixit comitibus suis : *Abbas meus stultus factus est; relinquamus eum.* Postea accessit ad eum et dixit : *Quid fecisti, abba? Stultus habitus es ab omnibus.* Ille respondit : *Hoc cupiebam; nam hoc mereor, non honorem illum, quo nullo modo dignus eram.*

Sequitur TERTIUS gradus, sive signum : timere Deum et memorem esse omnium mandatorum eius. Nam qui vere agnoscit suam vilitatem et suam dependentiam a Deo, et quod totum suum esse et omnia bona pendent ex benigno respectu Dei, timet valde offendere eum, et ipse timor facit memorem omnium mandatorum. Contra superbi, quia non intelliguntt quantum indigeant misericordia Dei, *bibunt sicut aquam iniquitatem,* ut dicit Iob (15, 16). Unde etiam in religione qui non sunt solliciti observare regulas, ostendunt se parum esse humiles. Porro incredibile est quanti fiat hic timor in Scripturis. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis* (Psalm. 111, 1). Iob, cap. 28, cum diu quaesivisset quid sit sapientia, concludit : *Sapientia est timor Domini; et recedere a malo, intelligentia.* Et Ecclesiasticus (19, 18) : *Omnis sapientia timor Domini.* Et Ecclesiastes (12, 13) : *Deum time et mandata eius observa. Hoc est enim omnis homo.* Isaias, 33 : *Divitiae salutis sapientia et scientia. Timor Domini, ipse est thesaurus eius.* Et cap. 66 : *Ad quem aspiciam, nisi ad humilem et trementem sermones meos?* Ps. 102 : *Sicut miseretur pater filiorum, sic misertus est Dominus timentibus se. Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.*

QUARTUM signum est, inimicum esse propriae voluntatis. Nam humilis, quia se putat omnibus inferiorem, iudicat se debere omnibus obedire et omnibus cedere. Superbus contra vellet omnes acquiescere suae voluntati, et aliquando etiam superiores trahere nititur ad suam voluntatem, et aegre fert si superior non sinat se flecti; quod ex illa radice oritur, quod iudicat se non debere contemni, etc. Hinc unusquisque cogi-

t, quando vel inter loquendum vult vincere, vel inter agen-
im vult alios sibi acquiescere, signum esse superbiae. Opti-
um est documentum B. Dorothei, ut per aliquot dies homo
servet se et frangat suas voluntates etiam in rebus mini-
is. Sic enim assuescet facile inimicum esse propriae volun-
tis.

Quintum signum, demissos oculos habere. Nam humilis putat omnes sibi superiores, et ideo ubique stat cum mo-stia et reverentia, ut famulus coram domino suo. Unde iam sancta illa seraphim coram Deo dicuntur velare faciem abus alis. Superbus vero, quia superiorem se putat, nemi-m reveretur, etc. Hinc cogitent qui immodesti sunt vel in chola, vel in mensa, vel in templo, etc., quantum mali sit, um superbiae signum sit manifestum. Maxime autem decet ligiosos haec modestia, quia profitentur poenitentiam et umilitatem. Unde Cassianus scribit monachos in mensa onsuevisse demissos caputios habere, ut nihil videre pos-nt, nisi suam portionem. Inter religiosos autem maxime ecet iuvenes, qui aetate sunt aliis inferiores, etc.

Sextum, non esse pronum ad risum. Nam risus elatus est ignum immodestiae et irreverentiae; unde coram magnis rincipibus non auditur risus elatus. Praeterea risus ob levem ausam, ut ob defectus aliorum, signum est quod homo con-emnit illum de quo ridet, et iudicat se esse superiorem, qui dverterit eius lapsum, etc. Unde duo simul signa superbiae unt in eo, qui coram aliis ridet ob aliorum lapsum. Nam et rreverens est erga adstantes et superiorem se facit illo, de uo ridet. Hic notetur immodestia in schola.

Nec tamen decet esse tetricum et tristem, sed laetum et erenum; sicut Dominus exultavit spiritu, sed non legitur isisse. Et Apostolus monet saepissime ut gaudeamus et exul-emus, numquam autem ut rideamus. Nam tristitia in vultu otest signum esse superbiae. Qui enim contemnit alios, isti vultu illos respicit. Est etiam signum hypocrisis iuxta lud : *Hypocritae tristes* (Matth. 6, 16).

Septimum est non loqui sine necessitate. Hic multa dicenda

essent. Nam imprimis promptum esse ad loquendum est s
gnum superbiae, quia locutio est interpres mentis et volu
tatis. Et sic loqui proprie convenit magistro, qui debet docer
instruere, consolari, exhortari, dare consilium, etc. Conven
etiam principi et superiori qui debet imperare, prohiber
terrere, etc. Unde qui promptus est ad loquendum, facit
magistrum vel superiorem, cum tamen omnes debeat
reputare superiores. Unde dicit Iacobus (1, 19) : *Sit aute*
omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendu

In particulari omnia fere peccata linguae oriuntur ex s
perbia. Nam peccat, qui loquitur extra tempus, qui ext
locum, qui loquitur impertinentia, qui loquitur detractori
qui seducit simplices. Omitto enim verba obscena, periuri
blasphemias et similia, quae nec nominari debent inter no
Qui loquitur extra tempus, usurpat sibi auctoritatem supe
rioris et superioris supremi, qui est supra regulas. Nam no
potest clarius contemni regula, quam loquendo extra tem
pus, sine necessitate, ut quidam faciunt, cum hoc fiat public
et quotidie, et regula sit clara et facilis. Et de his videtur pro
prie locutus Iacobus (1, 26), ubi ait : *Qui putat se religiosu*
esse, non refrenans linguam suam, etc. Similiter loqui extr
locum, ut in mensa, in schola, in ecclesia. Soli permittitu
superiori, cuius est ordinare quae facienda sunt. Unde al
usurpant auctoritatem superioris, etc. Loqui impertinentia
nova, curiosa, etc., signum est superbiae, nimirum quod ist
non cognoscit quantum negocii habere deberet pro anim
sua curanda et perficienda. Tunc enim non superesset il
tempus ad ista, sed quia putat se valde sanum et plenum
ideo perdit tempus in nugis. Qui loquitur detractoria, facit s
iudicem et censorem aliorum. Qui enim crederet nullum s
esse peiorem, certe non auderet de ullo male loqui. Qu
seducit, tollendo simplicitatem et docendo politicas ratione
faciendo ut alii credant superiores artificiose procedere, etc
isti superbissimi sunt superbia diabolica. Faciunt enim s
magistros insipientium. Hi sunt qui secundum Apostolu
per dulces sermones seducant corda innocentium. Hi su

similes Herodi, qui Christum occidere voluit, et similes diabolo, qui dixit Evae : *Cur praecepit vobis Deus?* (Gen. 3, 1) etc.

Octavum est loqui, sed paucis et submissa voce. Nam etiam superbia est non velle loqui, cum est necessarium. Sapit enim contemptum aliorum, velle intelligi per nutus. Unde S. Franciscus iudicavit superbum et illusum a diabolo quemdam fratrem, qui numquam volebat loqui, sed nutibus agebat. Porro clamosa voce uti est signum superbiae contemnentis alios. Qui enim alios reverentur ut superiores, demissa voce loquuntur. Sicut de Magistro humilitatis legimus : *Non contendet, neque clamabit, nec audietur in plateis vox eius* (Matth. 12, 19).

Nonum est fateri proprias culpas, cui adiunctum est occultare proprias virtutes. Nam verus humilis videt in se culpas et non videt virtutes, et vult haberi ab aliis, qualem se habet ipse. Contra superbus iactat sua bona, et facile loquitur de suis factis, sua nobilitate, etc. Culpas autem et quae mortificare possunt, pro viribus occultat. Sed sciendum quod non tam cognoscitur humilis, quando ipse sponte confitetur culpas, quod forte facit ut habeatur humilis, quam quando reprehenditur ab aliis, et ipse admittit verum esse; sicut David reprehensus a propheta ait : *Peccavi Domino* (II Reg. 12, 13). Docebat etiam Epictetus gentilis, respondendum reprehensionibus : *Non scis omnia mea mala; quia si scires, multo plura diceres.* Exemplum refert Cassianus de monacho, qui dicebat sua flagitia magna, quia putabat non credi, et non potuit ferre ut reprehenderetur de minoribus. Exemplum de occultandis virtutibus habemus in illo carbonario philosopho insigni in Vita Gregorii Thaumaturgi, qui occultavit sapientiam; et in S. Alexio, qui occultavit nobilitatem, et in S. Francisco, qui summo studio occultabat devotionem, etc. Et ex nostris P. Ignatius mire occultabat virtutes suas, et P. Xaverius omnia bona opera sua tribuebat aliis, etc. Nec mirum. Nam Dominus ita occultavit per 30 annos omnia dona sua, ut putaretur fabri filius, imperitus, etc.

Decimum est fugere singularitatem in religione. Nam p
prium est domini domus velle singulariter sibi serviri
mensa et in aliis rebus; famuli autem simul omnes comed
et incedunt, etc. Itaque qui in religione vult sibi singulari
serviri, ille vult haberi maior ceteris. V. g. unus non v
dicere missam quando campana eum vocat, sed quando
placet; et si socius et sacristanus turbantur, non curat. N
vult ire ad mensam initio cum aliis, sed prope finem, et tan
vult sibi deferri omnia. Non vult cibos ordinarios, non v
sedem ordinariam, non vult servare ullam regulam, sed e
exemptus ab omnibus, etc.

Undecimum, prompte obedire. Non est dubium humilitat
esse matrem obedientiae, cum scriptum sit : *Qui superbie*
nolens obedire (Deut. 17, 12); et : *Humiliavit semetipsum fac*
obediens (Philip. 2, 8). Humilis enim omnibus se inferiore
iudicat; quanto magis praelato, quem scit sibi datum a D
in patrem, et ducem, et magistrum. Nec solum superbia e
nolle obedire, sed etiam extorquere licentias et trahere
suam voluntatem, quia hoc est praeire ducem, et rege
rectorem, etc.

Duodecimum, pati dura et aspera. Patientia proprie fi
est charitatis; tamen humilitas ita disponit ad patientiam,
cum humilitate facile sit charitati imperare actum patienti
sine humilitate sit difficillimum, ita ut saepe cum patien
perdatur et charitas. Nam humilis existimat se dignum on
labore et contemptu, et ideo patiens est. Et si quis adv
terit, inveniet quod in omni impatientia invenitur superb
Nam vel murmurat intra se, quod non habeatur ratio
meriti, vel suae aetatis, vel suae dignitatis, vel suae infirm
tatis; atque ita semper radix impatientiae est aestimatio pr
pria. At qui vere est humilis corde, odit seipsum, et cu
mortificari et gaudet se tractari ut infimum, etc. Et hoc
maximum signum verae humilitatis, si quis non solum si
murmure, sed etiam libenter amplectatur dura et aspera, n
solum corpori, sed etiam animo, cui vilia et indigna su
aspera; nam in reliquis facile potest decipere seipsum,

putet se parvi se facere, et timere Deum, et odisse propriam voluntatem, etc. At ferre dura et aspera et repugnantia proprio honori, quando quis videt inde non se putari humilem, sed vilem, ibi non potest esse deceptio, et ideo hinc nascitur solidissimum gaudium, etc. Vide Bernardum, Serm. 34 in Cantica, ubi pulcherrima dicit super illud : *Bonum mihi, quia humiliasti me* (Psalm. 118, 71), et distinguit tres gradus, etc.

Iam de necessitate humilitatis. Colligitur necessitas 1° ex statu hominis, ut homo est; 2° ut christianus; 3° ut religiosus; 4° ut iesuinus; 5° ut talis iesuinus, id est operarius, vel scholasticus, vel coadiutor.

Ut homo est, necessaria est illi humilitas ex duplici capite : 1° ex innato amore excellentiae. Nam etiamsi superbia non est naturalis, quia naturales propensiones non sunt vitia, nec virtutes, tamen radix quaedam superbiae est naturalis, nimirum amor excellentiae. Homo enim creatus est capax summae cuiusdam gloriae, ut sit similis Deo per eius visionem. Hinc est in nobis naturalis appetitus sursum eundi, quia sursum est centrum nostrum. Et quoniam voluit Deus ut ista gloria differretur, donec eam mereremur, hinc factum est, ut, dum ea differtur, facile adhaereamus cuicumque excellentiae etiam falsae et impeditivae verae excellentiae. Exemplum de nobilissimo iuvene, ob flagitia exule et paupere, qui non potest se demittere ad mendicandum, vel artem vilem exercendam, et mavult dux latronum esse. Itaque humilitas est similis plantae peregrinae, quae difficulter recipitur a terra; et nisi custodiatur, defendatur, irrigetur, facile arescit. Superbia est similis urticae, quae, etc.

2° Colligitur ex eo, quod non possumus, nec debemus tollere materiam superbiae, quae sunt bona studia. Et quo magis crescit in nobis sapientia, prudentia, probitas, fortitudo, etc., eo magis crescit materia superbiae, quod in nullo alio vitio locum habet. Id quod confirmatur exemplis. Nam si B. Paulus tam sanctus et perfectus eguit stimulo carnis, ne extolleretur, ut ipse dicit, quid fiet de nobis? Et si primus homo sine fomite interno potuit superbire; quid etc.? Et si primus ange-

lus, sine fomite interno et sine tentatione externa superbivit, quid fiet de nobis vermiculis, nisi etc..?

Ut christiani tenemur esse humiles, quia professio evangelii est professio humilitatis, licet hoc paucissimi intelligant, et videatur de nobis posse dici, quod dicit Paulus de Iudaeis, quod dum legitur Moses, velamen est super cordibus eorum (II Cor. 3, 15). Ita christiani audiunt evangelium, surgunt, aperiunt caput, ponunt manum ad gladium, ut significent se defensuros evangelium, factis autem negant. Nam magister Christus nihil magis docuit verbo et exemplo, quam humilitatem. Unde Ecclesia in oratione dominicae Palmarum dicit : *Ad imitandum humilitatis exemplum carnem sumere et crucem subire fecisti.* Vocavit Ecclesiam pusillum gregem, non quia pauci numero esse deberent fideles, cum esset dilatanda Ecclesia per totum mundum, sed quia humiles esse voluit fideles, ut dicit Beda. Alibi vult nos esse ut oves inter lupos, dicit portam regni angustam, iubet effici sicut parvulos, iubet recumbere in novissimo loco.

Ut religiosi tenemur esse adhuc humiliores, quia status religionis est status poenitentiae, mortificationis et humilitatis. Nam ideo abhorrent ab indumentis preciosis omnes religiosi, et vovent paupertatem et obedientiam, quae sunt filiae humilitatis. Unde religiosus superbus et contendens pro honore, est monstrum in natura, compositum ex contrariis.

(Sequitur spatium vacuum).

Ut iesuini, debemus esse humillimi, 1° quia nostra est ultima ex religionibus magnis; et ideo, ut sumus ultimi tempore, debemus aliis omnibus cedere ut maioribus fratribus. Et non sine causa vocatur minima Societas ab institutore, qui non solum hoc scripsit, sed etiam ita semper loqui solebat, ut referebat P. Lainez; 2° quia habemus institutorem humillimum, qui noluit nos vocari Ignatianos, et mire occultabat dona Dei; 3° quia profitemur specialissime obedientiam, quae est quasi species humilitatis, etc.

Sequitur pagella, in qua quae scripta erant lineis superinductis deleta sunt, quia iam supra sunt recitata.

Consideremus nunc varios gradus.

Operariis Societatis necessaria est humilitas, quia exercent officia honorifica, et si bene fungantur suo munere, acquirunt magnam auctoritatem et potentiam. Nam cum habentur docti et probi, committunt se illis magni viri et pendent ab illis. Populares autem hoc ipso, quod vident illos magnifieri a nobilibus et principibus, etiam ipsi suspiciunt. Et saepe accidit ut multo maior sit opinio de talibus operariis, quam revera sint, sive quoad doctrinam, sive quoad bonitatem. Ego ipse novi aliquos, qui aestimabantur sancti, ut etiam miraculis clarere putarentur, et tamen non erant mediocriter boni, et iam sunt extra Societatem.

Scholasticis necessaria est humilitas, quia *scientia inflat,* 2 Cor. 8, et ordinarie magis inflantur scholastici, qui incipiunt discere, quam homines docti, quia isti iam viderunt quam parva scientia haberi possit in hoc mundo. Quod autem scientia inflet, nascitur ex hoc quod homo cum perspicillis amoris proprii respicit hoc ornamentum scientiae quod habet, et non considerat quanta ipsi desint, et quantam habeant alii, etc. Porro signa hominis inflati sunt tria : 1° homo inflatus est levis, sicut pila inflata vento, et ideo facile impellitur in omnem partem, et praesertim sursum. Facile credit adulatoribus; si quis dicat eum esse doctissimum, facile credit; si addat eum esse dignum promoveri ad gradus et honores, et hoc credit, etc. Unde Dominus volens ostendere Ioannem Baptistam non fuisse inflatum superbia, dixit : *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* (Matth. 11, 7) etc.

2° Inflati si comprimantur, mox ad nihilum rediguntur, et apparet fuisse plenos vento, non substantia. Sic superbi et inflati scientia loquuntur de virtutibus, de oratione, de prudentia, et persuadent, movent, ita ut videantur ipsi devoti, patientes, etc. Sed si tangantur et comprimantur, mox apparet quid sint. Nihil enim remanet nisi pellis.

3° Inflati evanescunt et infatuantur. *Evanuerunt in cogitationibus suis; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (Rom. 1, 21, 22). Nam dum se putant scientes et doctos, non

quaerunt viam ad veram scientiam; sicut qui putat se sanum, non quaerit medicum. Unde Apostolus posteaquam dixerat : *Scientia inflat, charitas aedificat* (I Cor. 8, 1), addidit : *Si quis autem existimat se aliquid scire, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire,* id est, nondum cognovit quae sit via ad veram scientiam. Nondum didicit logicam, qui est modus sciendi; nondum didicit bene discurrere. Nam qui bene discurrit, considerat quod vera scientia non est in hoc mundo, sed in altero, ubi videtur causa omnium rerum. Ad acquirendam autem illam veram scientiam, via non est meditari in Aristotele, sed meditari in lege Domini die ac nocte, et praesertim in lege charitatis. Et ideo addit Apostolus : *Qui autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo* (I Cor. 8, 3). Et non dixit : « Qui diligit Deum, hic cognoscit Deum ». Nam in hoc mundo potest Deus amari in se, sed non potest sciri et videri in se, sed oportet credere. Dixit ergo : *Hic cognitus est ab eo,* id est, est amicus Dei, et ideo in vera via ad perfectam scientiam. Nam cum obierit et pulsaverit ad portas verae sapientiae, non dicetur ei : *Nescio vos* (Matth. 25, 12); sed aperietur ei ut noto et amico et domestico Dei, et sic admittetur ad lumen gloriae et ad fontem verae sapientiae.

Iam ut scientia nos non inflet, quid remedii? Non recedam a metaphora rerum quae inflant, et sunt poma et castaneae. Ut castaneae non inflent, sed nutriant, 1° necesse est ut coquantur; 2° mundentur; 3° misceatur sal et piper, quae tollunt humiditatem et frigiditatem; 4° ut comedantur cum pane. Coquuntur scientiae, quando non accipiuntur ut fructus ex arbore, per propriam electionem, sed mediante obedientia : quia sic placet Deo et superiori qui me regit. Signum huius est, quando quis est contentus studere id quod vult superior, et quando vult superior, et quantum vult superior, et quomodo vult superior. Qui autem secus faciunt, illi student ut seculares, et accipiunt crudum cibum, etc. Et isti inflantur, ut patet experientia.

Mundantur scientiae, quando tolluntur omnes errores et turpitudines, quibus est aspersa scientia gentilium. Poetae

gentiles sunt pleni fabulis et amoribus carnalibus, quasi non possint fieri pulchra carmina, nisi ista misceantur. Et tamen carmina Davidis et prophetarum mirabilia sunt, ut etiam Prudentii, Paulini, Alchimi, quae sunt omnia vera et honesta. Idem dico de fallaciis et imposturis oratorum gentilium, de adulationibus historicorum, de erroribus philosophorum. Sed in particulari cavendae sunt homini religioso et prudenti in Christo opiniones singulares et extravagantes in theologia, et amplectenda via communis et tuta. Nam qui praetendunt videri et sunt inflati, illi quaerunt singulares opiniones. At qui student ut prosint, alia via incedunt. Ideo Congregatio generalis statuit, ut soli illi permittantur docere, qui sunt vere addicti S. Thomae.

Porro sale discretionis condienda sunt studia, ut tantum horis debitis studeatur et cum moderatione. Isti enim non frangunt pectus, nec spuunt sanguinem, nec habent distractiones in oratione; et avidius accedunt ad studium, ut illi qui non comedunt nisi tempore prandii et coenae, avidius sumunt cibum; et denique magis proficiunt, quia mentem habent puriorem, et Deus magis cooperatur.

Piper est studium mortificationis. Nam mortificatio pungit, sed calefacit. Et hic resistit inflationi, ut experientia docet.

Denique panis, cum quo scientia non inflat, sed aedificat, est amor Dei et proximi. Nam ut Augustinus dicit, exponens illud : *Si petierit panem, numquid lapidem dabit illi?* (Matth. 7, 9), Lib. 2 quaest. evangel. c. 22, panis est charitas, et dicitur panis, quia sicut panis potest solus et cum aliis cibis comedi, cum reliqui cibi sine pane noceant, ita, etc.; 2° quia sicut panis comeditur cum omnibus cibis et durat toto tempore refectionis, sive sit ientaculum, sive prandium, sive coena, cum reliqui cibi semper mutentur; ita, etc.; 3° quia sicut panis est cibus communis hominibus omnibus, divitibus, pauperibus, etc., cum reliqui cibi non sint communes, ita etc. Cum isto igitur pane, qui aedificat, id est nutrit et auget hominem vera substantia, non vento, ut solae scientiae faciunt, oportet comedere castaneas, id est scientias humanas. Quis

est ille, qui comedit scientias cum charitate? Qui vere studet propter Dei amorem. Ille autem vere studet propter Dei amorem, qui frequenter recordatur Dei, et dicere potest cum Propheta : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio* (Is. 29, 8).

. . . . . .

(Sic desinit pars versa; sequuntur autem novem folia vacua, quae ad eundem quaternionem pertinent).

DE ASCENSIONE DOMINI

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos. Deuter. 32, *et super eos volitans ascendit pandens iter ante eos.* Micheae 2.

Verba sunt, Aud., quae loco thematis mihi breviter explicanda suscepi, partim ex cantico Mosis, partim ex vaticinio Micheae prophetae desumpta. Iis enim non solum gloriosa et vere beata Domini Ascensio, quam hodierna celebritate veneramur et colimus, sed etiam modus eius Ascensionis nobis ante oculos ponitur. Quocirca ut a proposito mihi themate non recedam, exponam primum quomodo Dominus instar aquilae pullos suos ad volandum provocantis in sublime conscenderit. Deinde, quoniam ascendit pandens iter ante eos, enitar, si potero, illud iter investigare, quod apostolis suis quasi pullis Christus tamquam aquila suo volatu aperuit, tametsi non ignoro etiam sapientissimo Salomoni inter tria difficilia difficillimam visam esse viam aquilae in caelo. Beatissimus pontifex Gregorius, lib. Moralium 31°, exponens eam visionem, quam describit Ezechiel de magno illo et mistico animante, quod quattuor facies in uno corpore gerebat, faciem videlicet hominis, bovis, leonis et aquilae, omnino contendit nihil aliud eo animante quam Christum significari. Is enim vere unus et idem existens, faciem habet hominis, quoniam *exinanivit semetipsum* (Philipp. 2, 7), etc. Habet faciem bovis, quoniam ipse pro peccatis omnium populorum in holocaustum mactatus est, nec solum sacrificium, sed et sacerdos fuit. Habet faciem leonis, quoniam non sacerdos solum, sed et Rex regum et dominus dominantium est.

Habet postremo faciem aquilae, quae divinitatem et sublimissimam maiestatem eius designat.

Atque haec est causa cur B. Hieronymus, B. Augustinus et ceteri sancti Patres has facies quattuor evangelistis quattuor quasi propria insignia attribuant. Quoniam enim B. Mattheus in humanitate Christi explicanda potissimum laboravit, B. Marcus in eius regno et gloria miraculorum, B. Lucas in eius sacerdotio et B. Ioannes in eius divinitate praecipue versati sunt, idcirco merito facies hominis Mattheo, facies leonis Marco, facies vituli Lucae, facies aquilae Ioanni data est.

Sed rursum facies hominis Christi mansuetudinem et humilitatem, facies bovis Christi patientiam et labores, facies leonis Christi iustitiam et fortitudinem, facies aquilae Christi sapientiam et oculos illos mentis plus quam aquilinos et linceos significare possunt. Postremo ostendit se Christus verum hominem nascendo, bovem patiendo, leonem resurgendo et aquilam ascendendo. Siquidem is, qui factus ex muliere homo natus erat, et qui ut vitulus ad sacrificium oblatus, in ara crucis immolatus erat, quique ut leo a somno excitatus mortem et infernum suo rugitu exterruerat, hodie sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans ascendit pandens iter [ante] eos. Et videte si non etiam sanctus propheta David has facies quattuor in Christo agnovit, et eodem ordine numeravit. *Quid est,* inquit, *homo quia memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus* (Psalm. 8, 5, 6), etc. Quam sententiam de Christo intelligendam esse non doctor nescio quis, sed ipse divinus Apostolus ad Hebreos scribens (2, 7) testatus est. Quid igitur ait sanctus David, et quomodo facies istas enumerat? *Quid est,* inquit, *homo,* etc., ecce nobis humanam nativitatem; *minuisti eum,* etc., ecce passionem et mortem; *gloria et honore,* etc., ecce gloriam resurgentis; *et constituisti,* etc., ecce triumphum et maiestatem ascendentis.

Sed ad aquilam nostram revertamur. Proprium esse fertur aquilarum fovere pullos suos in nido existentes, et eos non

deserere, donec adolescant et plumis vestiri incipiant. Ubi vero adoleverunt et iam tempus appropinquat, quo de nido evolandum erit, dum pennae iam natae confirmantur et roborantur, volitare incipit super eos, et eos modum volandi docere, atque ad volandum provocare. At posteaquam pennae confirmatae et roboratae sunt, non amplius eos continet in nido, sed ipsa eos deturbat, et volare compellit. Ita plane fecit Dominus. Siquidem apostolos suos, donec parvuli fuerunt et lacte indiguerunt, eos perpetuo fovit, et verbis, exemplis, miraculis aluit, nutrivit, educavit. Venit postea tempus, quando iam adoleverant, ita ut aliquis eorum diceret : *Eamus et nos, et moriamur cum illo* (Io. 11, 16); et alius : *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo* (Matth. 26, 35). Tunc Dominus coepit eos ad tempus deserere, et super illos volitare. Itaque volavit in arborem crucis, deinde volavit usque in infernum; hodie vero volavit usque in caelum. Tamen quia pennae apostolorum adhuc tenerae erant, et, si volare post Dominum voluissent, sine dubio cum magno detrimento et suo et aliorum ad terram cecidissent, idcirco sapientissimus Dominus eos continebat in nido, eisque dicebat : *Quo ego vado, vos non potestis venire* (Io. 8, 21); et rursus uni de pullis, ceteris audaciori : *Non potes me sequi nunc, sequeris autem postea* (Io. 13, 36); et item omnibus simul : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (Luc. 24, 49). Ecce quomodo eos in nido continebat, donec alae crescerent, et robore ac virtute augerentur. Venit postremo dies pentecostes et tunc demum, cum iam pennis optime confirmatis ad volandum idonei essent, eos Dominus de nido excussit, et omnes fines terrae peragrare, ac ubique praedas agere iussit. *Euntes,* inquit, *in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Illi vero profecti praedicaverunt ubique* (Marc. 16, 15 et 20), etc.

Rursum fertur etiam illud esse proprium aquilae, ut dum habet pullos suos in nido inclusos, tametsi eos deserat atque altissime volet, tamen oculos ab eis numquam amoveat, et si forte videat accipitrem aliquem ad nidum appropinquare,

repente descendat, et accipitrem ipsum capiat, et occisum pullis suis comedendum praebeat. O quam saepe et quam praeclare hoc Dominus fecit! Ascendebat hodie aquila nostra in caelum, sed tamen benignissimos oculos a pullis suis non removebat, et illi quoque extentis collis eam intuebantur, et votis ac suspiriis prosequebantur. Post paucos menses, ecce saevus quidam accipiter videns aquilam procul a nido suo recessisse, et pullos solos reliquisse, spirans minarum et caedis ad nidum appropinquabat, et parum iam aberat, quin magnam eorum partem occideret, et totum nidum devastaret. Sed quid? Numquid existimatis aquilam etiam de mediis nubibus nidum conspicere non potuisse? Imo vero etiam de summo caelo nidum suum intuebatur et tuebatur, et oculos clementiae et providentiae suae in eum perpetuo intendebat. Itaque summa velocitate aquila nostra descendit, et accipitrem illum summo impetu prostravit atque occidit, et in nidum suum asportavit, et ex eo pullos suos diu nutrivit ac sustentavit. Non arbitror esse necesse ut vobis quis iste accipiter fuerit exponam. Quis enim ignorat apostolum Paulum antea accipitrem crudelem fuisse; deinde occiso in eo homine vetere, eum in nidum Ecclesiae delatum, et ex eius pectore cibum et potum spiritualem totam Ecclesiam hausisse. Haec est nimirum sapientia, haec est providentia Dei, qua magnificata sunt opera tua, Domine, etc. Quid sapientius, quam illum ipsum in cibum tradere pullis nidi sui, qui eum nidum evertere et pullos devorare cupiebat? Ascendisti, Domine, in caelum; elevata est magnificentia tua super caelos; sed tamen inde non cessas providere Ecclesiae tuae. Verus tu es Helias, qui igneo curru divini amoris super nubes ascendens, pallium Heliseo demisisti, ut eo Iordanis aquas dividere et pertransire posset. Quid enim est pallium, nisi vestis charitatis, nisi spiritus amoris, quem apostolis tuis de caelo misisti, ut induerentur virtute ex alto et omnes aquas tribulationum et tentationem et persecutionem illaesi transirent et ea veste, immo ea lorica induti, non solum fores, sed nec ora claudere dignarentur propter metum Iudaeorum?

Habemus igitur quomodo Dominus instar aquilae caelum ascendit. Reliquum est ut videamus qua via ascenderit. Non enim alia de causa ascendit pandens iter ante eos, nisi ut eos doceret qua via esset eundum in caelum. Video Dominum non repente de terra quacumque in caelum ascendisse, sed paulatim ascendisse montem unum, deinde alium paulo editiorem, tum alium adhuc editiorem et inde tandem in caelum se recepisse, montem videlicet montium, montem Dei, montem editissimum et sublimissimum. Dicam hoc ipsum planius. Cum Dominus, imminente passione, se iam discessurum affirmaret ac diceret : *Vado ad eum qui misit me* (Io. 7, 33), et : *Exivi a Patre* (Io. 16, 28), etc., primum omnium illa ipsa nocte ascendit montem Olivarum, deinde die sequente montem Calvariae, postremo, cum ab inferis rediisset, ascendit alium montem Olivarum, sed editiorem multo, quam esset primus, et inde tandem hodierna caelum ascendit. Et usque adeo Dominus intelligi voluit se non temere ex monte Olivarum ascendisse caelum, ut in eo loco reliquerit impressa vestigia, ut B. Hieronymus auctor est in explicatione locorum hebraicorum. Et quamquam ea terra, ut idem testatur, quotidie a christianis religionis gratia effoderetur et asportaretur, tamen Domini sancta vestigia semper pristinum statum retinebant. Et cum in eo loco splendidissimum templum exstrueretur, quod vestigia illa Domini media comprehenderet, summum tamen fastigium propter Domini corporis meatum numquam contegi potuit, sed in argumentum Ascensionis eius a terra in caelum patulum atque apertum ab architectis etiam invitis ac nolentibus derelictum est. Haec est igitur via in caelum. Primus ascensus est ad montem Olivarum, 2^us^ ad montem Calvariae, 3^us^ ad montem item Olivarum. Quid isti montes significant? Quid mysterii continent? Cuius rei nos admonent? Primus mons Olivarum est devotio et charitas imperfecta; mons Calvariae est perfecta mortificatio sensuum, passionum, voluntatum; alter mons Olivarum, qui tantum uno gradu distat a caelo, est perfecta charitas atque devotio. Ita disponendae sunt ascensiones in corde in hac valle lacryma-

rum, et ascendendum de monte in montem, de virtute in virtutem, ut videatur Deus deorum in Syon. In quo monte sumus nos, fratres? Certe si respicimus professionem nostram et quod homines putent de nobis, sumus in vertice tertii montis, prope tangimus caelum digitis; tamen revera non desunt inter nos, qui adhuc repant per primum montem Olivarum, et montem Calvariae vehementer reformident, et de monte 3° Olivarum ne cogitent quidem.

Dicamus de singulis montibus aliquid, ut unusquisque videat quantum profecerit. Mons tertius Olivarum est mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo (Psalm. 67, 16); transcendit nubes iste mons, ita quod non est ibi timor, nec moestitia, nec labor, sed quaedam pinguedo spiritus, pax et gaudium in Spiritu sancto, libertas spiritus, perpetua exultatio. In hoc monte illi sunt, qui sicut adipe et pinguedine repletam habent animam unctione Spiritus sancti. Homines pingues parvo motu resolvuntur in sudorem, et carnes pingues, cum assantur, statim ad primam vim caloris sudant pinguedinem. Tales sunt qui habitant in isto monte, quia animam habent pinguem, parvo calore spiritus accedente, resolvuntur in lacrymas. Talis erat B. Franciscus, talis etiam Pater noster Ignatius, qui si vel organa vel aviculas canentes audivissent, statim rapiebantur in Deum. Cur hoc? Quia pinguedine spiritus repleti erant. Quam ergo sumus nos macilenti, quantum absumus ab hoc monte, qui quotidie oramus, quotidie communicamus, quotidie legimus psalmos plenos caelestis suavitatis, verba ignita, et tamen sumus semper aeque frigidi! Praeterea in isto monte qui sunt, semper sunt hilares; nam habent cor plenum Deo, quae est ipsa laetitia. Et laetitiam habent solidiorem, quam ut facile perturbari possint; sunt enim superiores omnibus nubibus. Qui facile perturbantur, vel cum aliquid eis iubetur vel cum aliquid aufertur, sine dubio sunt in humili loco, non sunt in vertice montis. De B. Antonio, B. Benedicto, B. Francisco et aliis hoc ego observavi, quod omnes dicuntur fuisse laeti et sereni et tranquilli. Et sine dubio haec pax interior, haec tran-

quillitas, haec serenitas magnum signum est perfectae charitatis.

Quid praeterea habent, qui sunt in isto monte Oliveti? Libertatem cordis admirabilem. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas* (II Cor. 3, 17). Non timent homines, non timent iudicia et cogitationes hominum : Quid iste dicet, quid ille cogitabit? Non timent etiam pericula, vel labores ullos. Habent enim Deum ante oculos, et serio student placere illi. Et iccirco quicquid ei placere vident, etiam toto mundo contradicente, infracto animo aggrediuntur. Nam *perfecta charitas foras mittit timorem* (I Io. 4, 18). Itaque primum, libertatem a timore; deinde habent libertatem in oratione. Possunt etiam in medio foro statim colligere sese et assurgere contemplatione in Deum. Habent enim liberum accessum ad Deum; sunt enim, ut dixi, superiores nubibus. Nos qui habitamus in vallibus, cum orare incipimus, statim adveniunt nubes inanium cogitationum, seque interponunt. At qui pervenerunt ad cacumen illius montis, non patiuntur eiusmodi nubes. Aliquando quidem daemones se interponunt; sed quia orationes sanctorum sunt scintillae ignis, facile daemones arcentur. Nobis fortasse haec impossibilia videntur; sed tamen vere non sunt impossibilia. Narra de B. Francisco, etc.

Quae est via ad istum montem? Est mons Calvariae. Haec est ratio cur pauci sint perfecti, quia displicet ascendere montem Calvariae. Mons ille Oliveti est iucundissimus, et omnes cupiunt ibi esse, ut nos, cum audimus Vitas Sanctorum, quia vere ibi paradisus est, et laboratur sine labore. Et si possemus transportari ad illum montem, ita ut non esset opus transire montem Calvariae, multo plures essent sancti. Sed non ita est. Nam fieri non potest ut acquiratur illa pax et tranquillitas, nisi antea extirpentur vitia et sedentur passiones, quae sunt radices vitiorum. Legite Vitas Sanctorum; videbitis ita esse. De B. Hilarione scribit B. Hieronymus quod, cum ivisset ad Antonium et vidisset eum iam perfectum et clarentem miraculis : *Bene*, inquit, *ille fruitur fructu laborum; ego debeo pergere per eandem viam, sicut ille fecit initio.* Oportet igitur

ascendere montem Calvariae, et ibi crucifigi ac mori; et praecipue exuere passionem amoris, quae est caput omnium passionum. Oportet abstergere alas nostras et purgare. Legi ex quodam sancto heremita apud Cassianum quod, sicut aviculae, etiamsi habent optimas alas, tamen si parum luti eis adhaereat, volare non possunt; ita, etc. Et nisi hoc facimus, non est spes, ut possimus repleri amore Domini; sicut contra, si exuimus penitus amorem, est impossibile ut non impleamur amore Domini. Nam sicut non datur penetratio, ita nec vacuum. *Effundite coram illo corda vestra* (Psalm. 61, 9). Explicatur ex B. Francisco quis sit vere mortificatus et obediens, nempe de homine mortuo, etc. Ratio extirpandi vitia est primum serio instituere bellum contra ea, non ire ad confessionem et examen, etc. ex consuetudine; 2° numquam cessare, nam navigamus contra cursum fluminis; 3° quia est difficile simul bellum gerere cum hominibus (1), proponere tibi unum, et una hebdomada conari ut illud superetur, etc.

Ad hunc montem pervenitur ex monte Oliveti. Qui mons significat principia perfectionis, et praecipue devotam orationem. Nam etiam Dominus, ut se praepararet ad ascensionem montis Calvariae, primum in hoc monte oravit. Ita si quis putat se statim posse mortificare suas voluntates, decipitur; non succedet ei. Oportet intelligere etiam mortificationem donum esse Dei, et iccirco eum quotidie orandum, cuius est hoc donum. Dominus Christus, antequam oraret, tremebat, timebat, sudabat, etc. Explica totum. Neque vero si non habeatur in oratione consolatio et gustus, ideo est relinquenda. Nam Dominus non habuit gustum. Et qui comedunt mane ut faciant iter, saepe non comedunt cum gustu; tamen sentiunt postea se iuvari. Tamen danda est opera, ut non simus in causa, cur non habeamus consolationes : quia vere quod sapit, nutrit. Et certe hoc est unicum remedium ad perfectionem. Reliqua sunt extrinseca. Sicut planta, si non habeat humorem ad radicem, etiamsi exterius irrigetur, habeat salem, etc., nihil

(1) *corrige :* omnibus.

prodest. Nullus est sanctus qui non fuerit excellens in oratione. Nihil habemus quod conqueramur, etc. Nam etiam in religionibus talibus fuerint sancti, ut S^us^ Th., S^us^ Bonaventura, etc. Et nobis hoc est facilius, quia habemus exempla eorum, iam via est trita et facilis, etc.

Reliquum folium rectum vacat; vacant etiam folium versum, aliud folium integrum, et iterum folium rectum. A tergo huius postremi folii, incipit exhortatio in die secundo Pentecostes, quae sequitur.

DIE SECUNDO PENTECOSTES

Sic Deus dilexit mundum (Io. 3, 16), etc. *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi* (Cant. 5, 1). Utinam possem hodie tali convivio vos excipere, ut omnes discederetis ebrii, et nemo vestrum domum suam invenire posset. Certe tempus nos invitat. Hactenus enim semper pluit aqua. Hodie vinum pluit, et vinum novum, atque adeo mustum. Sic enim apostolis Dominus promisit : *Vinum novum,* inquit, *mittite in utres novos* (cf. Matth. 9, 17). Et hodie turbae : *Musto,* aiebant, *pleni sunt isti* (Act. 2, 13). Et vere ut ebrii se gerebant. Nam praedicare Deum crucifixum, gaudere in flagellis et contumeliis, quid videri poterat prudentiae huius mundi, nisi ebrietas quaedam? Sed aliud est hoc vinum, quod illi putabant; est enim vinum, non quod apostatare facit sapientes, sed quod generat virgines. Est vinum, de quo sponsa in Canticis : *Introduxit,* inquit, *me in cellam vinariam et ordinavit in me charitatem* (Cant. 2, 4). De hoc igitur vino dicemus.

Duo sunt quae nos invitant ad bibendum. Unum est quod Deus ipse nobis hunc praeclarum calicem propinat. Ipse prius bibit. Sic enim hodie legitis in Evangelio : *Sic Deus dilexit mundum, ut* etc. Quis non satisfaciet tanto regi nobis praebibenti? Et cum ipse plenum calicem biberit et usque ad ebrietatem, nemo putet se satisfacere, nisi etiam exhauriat poculum et ebrius fiat. Deus dedit Filium suum naturalem in mortem pro nobis, et cum illo omnia nobis donavit. Hic fuit calix amoris eius. Ergo nos minime satisfacimus, nisi etiam demus nos ipsos, et omnia alia, etc.

Alterum quod nos invitat sunt bonae qualitates vini, quae tales sunt, ut plane debeamus vendere tunicam, ut emamus vinum. Primo vinum semper vadit sursum; nam est naturae ignitae. Ita charitas trahit hominem sursum. Ponas charitatem in quocumque homine, in latrone, in meretrice, etc., omnino ibit ad caelum. Non potest teneri charitas in inferno, sicut ignis non manet deorsum, neque vinum infra aquam. Auferas charitatem, etiam virgines damnantur. 2° Vinum excitat fumos et eos mittit ad caput. Ita Spiritus sanctus excitat fumum orationis et mittit ad caput Christum. Spiritus enim postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus. 3° Generat somnum per istos fumos: ita homo ex[citatus] etiam oratione immergitur in Deo, et ibi quiescit ac dormit. 4° Facit obli . . . . . 5° Affert hilaritatem ad omnia facienda, et pol. . . .

Hic desunt extremum folium, quod est ultimum quaternionis et corrosum est. Quaternus vero iste incipit cum exhortatione de Ascensione.

DE S. P. N. IGNATIO

(In ecclesia Patrum, Romae anno Domini 1605)

In memoria aeterna erit iustus. Ps. 111.

Locuturus de B. P. Ignatio, imminente die depositionis eius, accepi sententiam ex ps. 111 : *In memoria,* etc. quam breviter declarabo et accommodabo ad ipsum B. Patrem nostrum.

Haec sententia duplicem habet sensum : nam et praeceptum et vaticinium continet.

Prior sensus talis est : Volo ut memoria iusti semper vivat; et ideo date operam imaginibus et scriptis, sermonibus et continua praedicatione, ut non obliteretur memoria iusti.

Posterior est : Quamvis omnes homines naturaliter optent memoriam aeternam, et eam procurent aedificiis, statuis, libris et similibus operibus, vere tamen soli iusti in memoria aeterna erunt.

Et quia aliquando etiam iniusti vivunt in memoria hominum, — nos enim non minus recordamur Iudae proditoris, quam S. Iudae apostoli, — ideo addit psalmus : *Ab auditione mala non timebit,* quasi diceret : « Ego loquor de memoria in laudem. Nam memoria cum opprobrio non est desiderabilis. Ideo dico quod iusti sic erit aeterna memoria, ut non sit periculum ut timeat vituperationem. Non timebit ut de illo aliquid mali audiatur. »

Dicamus de priore sensu. Recte praecipit Deus, ut semper vivat apud nos memoria iustorum, quia est honorificum Deo, iucundum sanctis, et utile nobis.

Honorificum Deo, quia honor imaginis transit ad prototy-

pum; ut dicit S. Basilius, sancti sunt imagines pulchrae Dei. Peccatores sunt quidem imagines Dei, quia liberum habent arbitrium et intellectum, sed sunt deformes et multum dissimiles. Exemplum de imaginibus crucifixi vel sanctorum, quae sunt aliquando tam vetustae vel tam deformes, ut risum moveant et ideo removeantur ab altaribus.

B. P. Ignatius fuit imago Dei pulcherrima, quia similis prototypo, non solum quia conformis ratione naturae, sed etiam quia conformis ratione voluntatis, quae est proprium iustorum. Unde Christus ipse dixit : *Non mea, sed tua voluntas fiat* (Luc. 22, 42). Et S. Franciscus semper orabat pro cognoscendo beneplacito Dei et implendo, postpositis omnibus suis commodis et gustibus, quia illud est sine dubio optimum, et in hoc cognoscitur an quis sit vere rectus corde, et similis Deo : distorti enim cupiunt sua commoda, et saepe illis displicet voluntas Dei. Et in hoc excelluit B. Ignatius, qui in omnibus rebus semper quaerebat maiorem Dei gloriam, et semper erat quietus et pacificus, quia placebant illi iudicia Dei.

Praeterea sancti sunt filii Dei, et laus filiorum redundat in patrem : *Gloria patris filius sapiens* (cf. Prov. 10, 1; 13, 1), quia nimirum praesumitur filius talis esse ex bona institutione patris. Sed tunc maxime Deus laudatur in sanctis, quando sancti non habuerunt bonam educationem a parentibus et magistris, iuxta illud : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Deus autem assumpsit me* (Psalm. 26, 10). Sic S. Hilarion, qui natus est ex parentibus gentilibus. Hoc maxime convenit B. Ignatio, qui non fuit educatus in spiritu et litteris a puero, sed usque ad aetatem 35 annorum fuit vanus et miles mundi sine scientia et spiritu. Quis ergo fecit illum filium tam sapientem? Deus immediate, et singulari providentia sua. Ipse permisit eum in bello tam graviter vulnerari, et in morbo illo fecit illum legere Vitas sanctorum, ipse duxit illum in solitudinem, ipse docuit orare et contemplari, etc.

3° Sunt iusti aedificia Dei : *Dei aedificatio estis,* inquit Paulus 1 Cor. 3, et aedificium laudat architectum. Sancti sunt

aedificia perfecta domus Dei; credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. Iniusti semper carent aliquo horum. B. Ignatius in omnibus excelluit : de fide patet ex quarto voto; de spe ex itinere in Hierusalem sine pecuniis; de dilectione ex tot laboribus in discendis literis pro sola gloria Dei.

4° Sancti sunt agricultura Dei, 1 Cor. 3. Iniusti sunt quasi agri deso[la]ti, pleni urticis, sine maceria, etc. B. Ignatius dono Dei fuit diligentissimus cultor agri sui et aliorum, ut patet ex perfectis exercitiis, ubi prima hebdomada datur opera purgativae, et postea illuminativae, et ultimo unitivae.

Et praeterea hoc gratum sanctis, quia ipsi agnoscunt in Deo quae fiunt et dicuntur ad illorum honorem et gaudent de nostro bono affectu erga ipsos, et multo magis de gloria Dei; quod non accidit damnatis, quia non sciunt quid hic laudetur, et proinde non possunt gaudere. *Vae tibi, Aristoteles,* inquit quidam, *qui laudaris ubi non es et torqueris ubi es!* Sed haec laetitia sanctorum tanto est maior, quanto est maior multitudo carorum, a quibus laudantur, et quanto illi magis sunt cari.

Proinde B. P. Ignatius magnam habet laetitiam, quia videt se laudari in toto orbe, a tot millibus filiorum, et qui illi carissimi sunt. Dicit enim Ambrosius maiorem esse affectum patris spiritualis in filios, quam patris carnalis; quia pater carnalis amat quod dedit, id est carnem, et cupit filiis hereditatem suam temporalem; at pater spiritualis amat spiritum, et cupit filiis hereditatem aeternam.

Denique ista memoria et laus sanctorum est utilis nobis, quia instruit intellectum et accendit affectum. Instruit intellectum, quia docet et convincit virtutem perfectam esse possibilem, immo facilem cum gratia Dei. Multi non proficiunt, quia quasi desperant de perfectione, dum cogitant malam inclinationem, malos habitus, consuetudinem aliorum, quasi torrentem ferentem deorsum et tentationes diaboli; et dicunt cum Israelitis, qui timebant ire in terram promissionis : *Urbes sunt munitae et muratae usque ad caelum* (cf. Deut. 1, 28);

habitatores sunt gigantes armati, quibus comparati locustae videmur (cf. Num. 13, 33, 34) Sed vita sanctorum, redacta ad memoriam, tollit hanc desperationem, et convincit intellectum quod perfectio sit possibilis, immo etiam facilis, et iucunda, sicut Dominus dicit iugum suum non solum non esse asperum, sed esse suave. Ecce B. P. Ignatius erat inclinatus ad vanitates, ad gloriam mundi, etc. Acquisierat malos habitus, per tot annos erat in medio tot vanorum, non carebat tentationibus, imo daemon non solum invisibiliter eum vexabat, sed etiam visibiliter terrebat. Et tamen superavit omnia, et cum laetitia magna interiori ad perfectionem cucurrit. Ergo perfectio possibilis et facilis est volentibus serio cooperari gratiae Dei. Et si ille contempsit mundum usque ad extremam mendicitatem, non poterunt alii contemnere superflua et contenti esse mediocritate? Si ille tot horas orabat, vigilabat, se verberabat, singulis horis conscientiam examinabat, non poterunt alii orare unam horam, poenitentias leves subire, examinare conscientiam bis in die? Si ille magno exercitio didicit non loqui nisi de necessariis, etc., non poterunt alii fugere colloquia vana, de nugis, etc.? Si ille paratus erat in senectute cum suo baculo ire quocumque eum Papa misisset, non poterunt alii obedire in rebus parvis? Idem docent et convincunt vitae aliorum sanctorum ad memoriam reductae.

Discurre per martyres, heremitas, reges et pontifices sanctos, qui in tanta distractione et periculis perfectionem adepti sunt, etc. Praeterea accendit affectum memoria sanctorum, quia dum cogitamus gloriam ipsorum, tum visibilem istam, quam ab hominibus habent, tum invisibilem, quam habent apud Deum, accendimur ad idem desiderandum. Et hoc desiderium mire prodest ad expellendam pigritiam. Videmus in hoc mundo, cum unus ex imo loco evehitur ad altum gradum, infiniti excitantur ad aemulandum. Et tamen rarissimi perveniunt. At in rebus Dei omnes, qui serio volunt, possunt pervenire. Et S. Bernardus Serm. 5 de festo Omnium Sanctorum dicebat, ex memoria sanctorum sentire in se accendi

magnum desiderium participandi gloriam ipsorum, et proinde illos imitandi. Omitto gloriam aeternam, quam non videmus. Quis non vellet tranquillitatem mentis, quam habent sancti in hoc mundo? Videntur quasi scopuli in medio mari, et quasi caelum serenum, quo non pertingunt nubes et venti, et quasi dii in terris imperantes elementis et daemonibus et rebus ceteris, etc.

Venio ad alium sensum. Multi homines magni ardentissime cupierunt nomen aeternum, et ideo aedificarunt magnas moles, ut olim gigantes turrim Babel, Aegyptii reges pyramides, et Romani thermos et amphitheatra. Alii inscripserunt sua nomina in marmoribus, vel sua insignia. Alii scripserunt libros, per quos viverent apud posteros, ut gloriatur Ovidius de sua Metamorphosi. Alii fecerunt magna praelia, sperantes illa scribenda in historiis. Sed haec omnia vana sunt, et paulatim pereunt, et in fine mundi peribunt omnino, et de illis verificabitur psalmus [9, 6] : *Nomen eorum delesti in aeternum, et in saeculum saeculi.* Erunt enim in aeterna oblivione. At sanctorum memoria vere aeterna erit. *In memoria aeterna erit iustus* (Psalm. 111, 7), quia non fundarunt memoriam in rebus corruptibilibus, sed in rebus aeternis. Ubi fundarunt? In timore Dei : *Timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi* (Ps. 16). In vera sapientia : *Clara est, et quae numquam marcescit sapientia* (Sap. 5). In patientia : *Patientia pauperum non peribit in finem* (Psalm. 9, 19). Sed potissimum in iustitia, quae est virtus universalis, ut dicitur in lib. 5 Ethic., et habet illa praecepta universalia : *Declina a malo et fac bonum* (Psalm. 36, 27); quae secundum Augustinum. De natura et gratia, est charitas, quae ordinat hominem erga Deum et proximum, et imperat actus omnium virtutum. De hac in eodem (Ps. 111, 3) : *Iustitia eius manet in saeculum saeculi.* Et ideo proprie dicitur : *In memoria aeterna erit iustus.* Ista sunt aeterna, quia opera sanctorum procedentia ex timore sancto, ex sapientia, ex patientia et ex iustitia, sunt scripta in libris aeternis, qui perire non possunt, id est in notitia et approbatione Dei et angelorum. Novit Dominus viam iustorum. Et

de impiis : *Nescio vos* (Luc. 13, 25). Praeterea manent in aeternum haec omnia in suo effectu, id est in proemio beatorum. Quamdiu enim durabit proemium sanctorum, tamdiu durabit memoria virtutis et meritorum. Denique extabunt in aeternum signa praecipuarum virtutum, quomodo signa patientiae Christi extabunt in cicatricibus sole clarioribus. Et sic etiam aureolae martyrum, doctorum et virginum demonstrabunt patientiam martyrum, sapientiam doctorum, puritatem virginum, etc. Et credibile est quod fundatores religionum, in quibus fuerunt multi martyres, multi doctores, et multi virgines, in caelo habebunt signum particulare gloriae, quia *gloria patris est filius sapiens* (cf. Prov. 13, 1). Hinc possumus cognoscere quam bene verificetur in B. P. Ignatio : *In memoria aeterna erit iustus.*

Fundavit enim gloriam suam in patientia maxima, tolerando mendicitatem et persecutiones, et addendo tot labores poenitentiae et peregrinationi. Item fundavit in sapientia, investigando semper maiorem Dei gloriam, et ad eum omnia dirigendo. Fundavit in timore sancto, examinando singulis horis conscientiam et cavendo etiam a verbis otiosis. Fundavit in iustitia, declinando ab omni malo et faciendo multa bona, sed unum praecipue, quia fuit auctor religionis, quae diffusa est per totum mundum et habet martyres, doctores et virgines, etc.

Hinc patet quantum decipitur mundus, qui credit obscurari gloriam, quando aliquis nobilis despicit mundum, et non videt hanc ipsam esse viam ad veram gloriam etiam coram hominibus. Exemplum de S. Thoma Aquinate, de S^ta^ Clara, de ipso B. P. Ignatio, de B. Aluisio, etc. Huius gloriae debemus esse ambitiosi, et ad hoc sequi vestigia tanti patris, imitando patientiam, sapientiam, etc.

IN ANNIVERSARIO B. IGNATII

(1606)

Quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum (Matt. 25).

Haec leguntur tum in evangelio, tum in antiphonis de confessoribus. Ideo, etc.

1° Declarabo quid sunt talenta; 2° quomodo B. Ignatius illa multiplicavit; 3° quomodo nos debemus illum imitari.

De 1° tot sunt opiniones, quot auctores, dum alii per talenta intelligunt quinque sensus, alii gratias gratis datas, alii scripturas sanctas, alii officia, alii bona spiritualia et temporalia. Sed omnes laborant in accommodatione harum rerum ad parabolam.

Parabola dicit quinque res de talentis : 1° quod sint bona Dei : *Tradidit illis bona sua;* 2° quod data sint *secundum propriam virtutem;* 3° quod debeant multiplicari in eadem specie, quia comparat usurae, quae multiplicat ipsas pecunias mutuatas : *exegissem utique cum usuris;* 4° quod servo fideli dentur pro mercede multo plura : *quia in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam;* 5° quod negligenti servo tollatur talentum, quod ei fuerat datum. Ad haec difficulter accommodantur supra dicta, ut patet discurrendo. Sed non ideo reiciendae sunt expositiones, quia non est necesse omnia accommodari, ut Chrisostomus dicit. Tamen adducam unam expositionem secundum quam omnia bene accommodabuntur, et non est contraria aliis; imo in sensu omnes conveniunt.

Dico ergo talenta esse animas fideles et sanctas. Nam 1° istae sunt vere bona Domini; nam propter has lucrandas

venit in mundum : *Filius hominis venit quaerere et salvum facere quod perierat* (Matth. 18, 11); has *acquisivit sanguine suo* (Act. 20); has vocat vineam suam, familiam suam, sponsam suam, corpus suum; has commendavit Petro : *Pasce oves meas* (Io. 21, 17); ad has lucrandas misit apostolos : *Faciam vos fieri piscatores hominum* (Matth. 4, 19).

2° Haec talenta dantur secundum propriam virtutem. Nam prout Deus dedit mensuram fidei et aliorum donorum, ut sapientiae, prudentiae, caritatis, fortitudinis, etc., sic committit curam animarum. Et quidem iis, quibus dedit modicam virtutem, dat unum talentum tantum, id est curam sui ipsius, quod tamen multiplicari debet per bona exempla. Iis, quibus dedit maiorem virtutem vel maiora dona, dat duo talenta, id est curam sui et aliorum, sed paucorum; tales sunt in religione rectores, in clero parochi, in seculo patres familias. Iis, quibus dedit maxima dona, dat quinque talenta, id est curam multorum; tales sunt in religione provinciales et generales, in clero episcopi, archiepiscopi, etc., in seculo principes, reges, etc. Est hic notandum quod nemo debet se ingerere sed exspectare ut vocetur a Deo, qui dat talenta secundum propriam virtutem, et hinc fit ut plurimi cadant sub onere.

3° Haec talenta multiplicantur in eadem specie. Nam qui diligens est et fidelis, non solum conservat bonas animas sibi commissas, sed convertit multas alias; v. g. Petrus factus est pastor 120 animarum in principio, sed statim negotiando multiplicavit ad 3000, postea ad 5000, postea ad mille millia. Sic S. Gregorius Taumaturgus accepit episcopatum, in quo erant solum 17 christiani; postea ita multiplicavit ut, tota civitate amplissima conversa, solum restarent 17 pagani.

4° His respondet merces : *quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam,* quia sancti in caelo gubernant cum Christo totam Ecclesiam, imo totum mundum. Et non solum gubernant homines, qui nunc sunt, sed omnes qui erunt usque ad finem mundi. Et hoc declaratur in Apocalypsi cap. 2 : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Item : *Dabo ei potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea*

(cf. Psalm. 2, 8, 9), ut Basilius in oratione de 40 martyribus dicit eos esse communes praesides humani generis, etc.

5° Qui talentum non exercuit, perdit ipsum talentum; quia qui negligens est et non vult proficere, paulatim obliviscitur animae suae, et sic abscondit in terra, nihil curans nisi terrena, et sic perdit animam suam, et vere perdit; non sicut beati acquirunt libertatem filiorum Dei, ex qua sunt domini sui ipsorum, et faciunt quod volunt sine ulla resistentia. Ita damnati perdunt dominium sui ipsorum, et nihil possunt facere eorum quae volunt. Quod significat illud : *ligatis manibus et pedibus* (Matth. 22, 13), etc. Et quamvis in parabola solus ille, qui habet unum talentum, dicitur fuisse negligens et punitus; tamen intelligendum est a maiori, quod multo facilius est, ut qui habeat multa etc., sit negligens et perdat omnia, etc. Et si qui non lucratur, punitur, quid erit de illo, qui perdit sua talenta?

Quoad 2^m^, vere B. Ignatius multiplicavit talenta. Nam 1° habuit unum talentum solum, et exemplo suo multiplicavit illud, quando convertit decem socios. Et postea data sunt ei duo talenta, quando factus est caput Societatis, quae consistebat in una parva familia. Sed ipse ita multiplicavit, ut brevi fierent multae provinciae, et tunc data sunt ei quinque talenta, quae etiam semper auxit. Nam tum per se, tum per suos convertit innumeros alios, et sic multiplicavit talentum mirabiliter, ut potuerit dicere cum Iacob : *Cum baculo isto transivi Iordanem, et ecce cum duabus turmis regredior* (Gen. 32, 10). Transivit flumen rerum temporalium, quando incepit agere poenitentiam solus. Sed postea transivit iterum flumen temporalitatis per mortem, sed tunc duabus turmis comitatus ascendit, una sanctorum religiosorum, altera sanctorum secularium per ipsum conversorum. Ideo meruit audire : *Euge, serve bone et fidelis,* etc.

Sed utile erit videre qua industria ita multiplicaverit talenta. Industria haec fuit, quod ingressus est viam rectam ad perfectionem. Quae est via recta? Quae incipit a via purgativa, et inde transit ad illuminativam, et terminatur in perfectivam.

Potest quidem Deus omnia in momento facere, ut fecit cum S. Paulo, immo cum apostolis omnibus. Sed ordinaria via est, quam diximus. Quod patet exemplo medicorum, qui primo purgant, deinde porrigunt medicamenta, ut febrim curent, postremo dant bona alimenta ad vires augendas. Et agricolae primo purgant agrum a malis herbis et saxis, postea serunt bonas herbas, ultimo infundunt aquas ut crescant, etc.

B. Ignatius coepit a via purgativa, quando induit saccum, secessit in eremum, et vacabat ieiuniis, vigiliis, orationi, flagellationi, mortificationi et peregrinationi usque in Hierusalem. Hic fuit eius novitiatus et purgatio, tum ut satisfaceret pro peccatis praeteritis, tum ut, domito corpore et passionibus, disponeret animum ad illuminationem. Suscepit autem tam amaram purgationem, quia electus erat ut esset exemplar multorum. Sic fecit Ioannes Baptista, sic B. Antonius, B. Benedictus et B. Franciscus, cui fuit revelatum quod vera perfectio incipit a victoria sui ipsius, et alii similes, qui vix imitabilem purgationem susceperunt, ut aliis persuaderent purgationem moderatam. Immo Christus ipse, qui novitiatu et purgatione non egebat, voluit tamen per annos quasi triginta esse novitius et subditus, et latere, et postea quadraginta dies voluit servare silentium, et dormire humi, et ieiunare, et tentari, ut novitiis non videretur grave similia pati, immo sine comparatione minora.

Deinde transiit ad illuminativam. Et quamvis iam gravis esset aetate, voluit ordine discere grammaticam, humanitatem, logicam, philosophiam et theologiam. Nam qui statim saltant ad theologiam vel Scripturam, facile incidunt in errores. Scriptura enim, in qua consistit vera illuminatio, quia est tota divina et verissima, licet videatur simplicissima, tamen est profundissima, ut docet Augustinus in libris de doctrina christiana et in epistolis ad Hieronymum. In Scriptura est compendium omnium scientiarum, ibi est varietas linguarum hebraicae, caldaicae, graecae et latinae. Unde dicit Augustinus, de doctrina christiana, necessarium esse scire tres linguas ad perfectam intelligentiam Scripturae, quia multa sunt ita pro-

pria uni linguae, ut vix per interpretes declarari possint. Ibi est rhetorica, praesertim in prophetis et in Paulo, ut S. Augustinus ostendit in Scripturis istis inveniri omnes tropos et figuras rhetoricas. Ibi est poetica in psalmis, in Canticis canticorum, in Threnis et in canticis prophetarum, ubi sunt descriptiones et phrases poeticae stupendissimae et obscurissimae. Ibi sunt historiae in libris Mosis et Regum, et Evangeliis. Ibi sunt etiam multa philosophica ex naturali philosophia, ut in Iob. Ibi denique est theologia altissima de Deo, de angelis, de sacramentis, etc., quae sine errore non facile intelliguntur sine fundamento theologiae scholasticae, quae rursus theologia eget fundamento logicae et philosophiae.

Recte igitur fecit B. Ignatius ascendendo ordinate et per gradus; sed habuit multas difficultates, quas amore Dei superavit : 1° habuit paupertatem magnam; 2° habuit aetatem gravem, quae non est ita apta ad studia puerilia; 3° habuit gustum contemplationis divinae, quae non minus impedit studia humana, quin studia humana impediant contemplativam.

Postremo transiit ad vitam perfectivam, quando studiis absolutis suscepit sacerdotium, et praeparavit se per integrum annum ad primam missam dicendam, quo tempore totus fuit in contemplatione apta ad ignem divini amoris accendendum, et tandem ex ardore illo charitatis una cum sacrificio corporis Christi obtulit se in sacrificium, immo in holocaustum Deo, firmiter statuens et vovens dimittere curam rerum suarum et totum se dedicare divino servitio secundum obedientiam Christi vicario. Tunc dicere cum sociis potuit : *Reliquimus omnia et secuti sumus te* (Matth. 19, 27). Deinde coepit cum sociis exercere vitam illam perfectissimam, quae consistit in contemplatione prodeunte in actionem, quae nascitur ex contemplatione, concionando, audiendo confessiones, etc.; qualis est vita episcoporum, et fuit apostolorum, et Christi, immo et angelorum et Dei. Hoc ergo modo B. Ignatius purgatus, illuminatus et perfectus coepit multiplicare talentum, et multos trahere non solum ad meliorem vitam, sed etiam ad per-

fectam vitam. Nec solum hoc fecit per se, sed etiam per suos. Nam instituit religionem, in qua ordinavit illa tria miro modo : nam 1° ordinavit vitam purgativam in novitiatu duorum annorum cum multis experimentis, etc.; 2° ordinavit vitam illuminativam in studiis omnium scientiarum; 3° ordinavit vitam perfectivam in professione, quam antecedunt exercitia varia, etc. Nec solum ordinavit in sua religione has vias pro suis, sed etiam pro aliis, instituendo confessarios pro purgandis hominibus, lectores pro illuminandis, concionatores pro perficiendis. Et isti sunt praecipui operarii societatis. Sed si volunt bene fungi officio suo et respondere vocationi, debent respicere suum exemplar, et considerare quid ille fecerit, et quid praeceperit faciendum, et hoc est tertium, quod proposuimus.

Tria sunt praecipue necessaria, et ab ipso B. Patre commendata : intentio recta, stabilitas in suo officio, et humilitas. Et quidem omnia sunt necessaria omnibus; sed videtur stabilitas maxime necessaria confessariis, intentio recta lectoribus, humilitas concionatoribus. Intentio recta est operari propter gloriam Dei et propter aeternum proemium, non propter aliquid temporale. Confessarii indigent, quia tentantur acedia, quia officium est occultum, non speciosum, laboriosum et periculosum, quae omnia incitant ad negligentiam. Item tentantur ex conversatione cum mulieribus et ex familiaritate cum magnatibus. Haec omnia remedium habent, si quis actualiter intendat gloriam Dei et proemium coeleste. Lectores indigent, quia studium exsiccat devotionem, et quia intellectus libenter invenit nova, ut acumen suum ostendat. Praedicatores indigent, quia tentantur tentatione placendi hominibus; inde conquirunt pulchra verba, conceptus varios, delectabiles, etc.

Stabilitas officii est quod dicitur in regulis, ut quisque studeat perfici in suo statu, nec appetat mutationem. Ad hoc facit illa sententia : *Quaestus magnus est pietas cum sufficientia* (I Tim. 6, 6), id est studium lucrandi pietatem et in ea crescendi, et studium cessandi ab omni alio lucro, putando sibi sufficere quod habet. Quod declarat Paulus, cum ait : *Didici*

in quibus sum sufficiens esse (Philipp. 4, 11). Quod intelligi debet non solum de divitiis, sed etiam de officiis et omni alia re ut solum maneat studium lucrandi pietatem. Haec accommodantur confessariis et aliis.

Humilitas est virtus opposita superbiae, quae in eo consistit ut quis putet esse plus quam est; vel quod est, esse a se, non a Deo. Contra primum oportet cogitare sibi multo plura deesse, quam ea sint quae habet; exemplum de Phariseo. Contra secundum oportet cogitare omnia bona etiam spiritualia esse a Deo non donata, sed commodata, et rationem Deo reddendam de omnibus; exemplum de illo cui commendantur decem millia aureorum cum pacto dandi singulis annis mille, et postea capitale; qui si putaret se divitem et superbiret, stultus esset. Et nota quod magis debet humilis esse et timere, qui habet dona spiritualia, quia illa sunt nobiliora et magis gratuita, et facilius possunt amitti.

In his omnibus excelluit B. Ignatius. Ideo tantum fructum fecit, ut posset dicere : *Ecce alia quinque superlucratus sum.* Unde merito illi dictum est : *Euge serve bone et fidelis,* etc. Hunc imitari debemus; et ut securius id faciamus, Deus illum miraculis illustrat, etc.

(Vacat reliquum folium versum et duo folia subsequentia).

DE ANNIVERSARIO B. P. N. IGNATII [1]

Amavit eum Dominus et ornavit eum, stolam gloriae induit eum et ad portas paradisi coronavit eum (Resp. ad lect. V in officio conf. non pont.).

Tria beneficia notantur, quorum unum est causa alterius; 1^m^ praedestinationis, 2^m^ iustificationis, 3^m^ glorificationis.

1° Praedestinationis, quod includit non solum praeordinationem mediorum, sed ipsam etiam electionem, notatur in illo : *amavit eum*. Haec enim est prima radix electionis et omnium bonorum; haec est quasi summa iustificationis et glorificationis. Unde dicitur : *Iacob dilexi* (Rom. 9, 13), et : *Quia complacuit patri vestro dare vobis regnum* (Luc. 12, 32). Et haec est illa quam tam saepe proponit D. Paulus, et quam annunciarunt angeli in natale Christi, tamquam causam gloriae in excelsis et pacis in terris, bona videlicet voluntas Dei.

Magnum et mirabile beneficium inter tot millia millium

---

(1) *Dicta est haec oratio Romae die 31 iulii anni 1599, ipso nimirum die quo apud patres Societatis Iesu primordia sumpsit cultus publicus sancti fundatoris. Cuius rei testem habemus P. Alphonsum Agazzari, tunc vice-praepositum domus professae romanae, qui praesens aderat et in litteris suis commemorat adhortationem a Bellarmino, qui nuper cardinalis erat creatus. factam, « quae per horam bene magnam duravit. pulchraque admodum fuit » et nostri beati Patris Ignatii laudibus plena, assumpto hoc themate :* Ama- » vit eum Dominus et ornavit eum, stolam gloriae induit eum et ad » portas paradisi coronavit eum ». Cf. Act. SS., *t. VII iulii, p. 604, n. 1016 et 1017.*

hominum eligere ab aeterno unum qui non solum sit futurus particeps beatitudinis Dei, sed etiam sit futurus unus de principibus aulae caelestis et dux plurimis aliis ad vitam. Causa huius beneficii nulla reddi potest ex parte nostra; sed tamen cum Dei voluntas sit rationalis, non potest Dei sapientiae defuisse causa cur id voluerit, et in beatitudine nobis etiam hoc innotescet, ut dicit S. Augustinus in Enchiridio, cap. 95. Si tamen licet aliquid conicere, possumus dicere unam ex causis fuisse maximam improportionem rei. Nam *virtus Dei in infirmitate perficitur* (II Cor. 12, 9), et quo res est magis improportionata, eo maior est materia gloriae Dei. Si quaeras quare Christus per lutum voluit illuminare caecum, quia lutum est maxime improportionatum, ut tota gloria esset Dei, nulla autem instrumenti naturalis. Quare per crucem voluit Deus mundum sibi subjugare? Quia, etc. Sic etiam quare elegit P. Ignatium, ut esset caput ordinis, qui per instrumentum scientiarum et innocentiae vitae se et alios perduceret ad salutem? Quia erat homo idiota et miles, quorum ordinaria vita est per varia scandala perdere se et alios.

Ornavit eum. Elegit Deus hominem idiotam et militem, non ut relinqueret talem, sed ut faceret doctum et spiritualem, et sic de comedente exiret cibus et de forti egrederetur dulcedo. Ornavit eum Deus eo modo, quo necesse erat ornari hominem, qui erat futurus exemplar tot millium servorum Dei. Nam semper exemplaria sunt perfectiora imaginibus, quae inde exprimuntur. Et sic videmus omnes primos fundatores excelluisse in virtutibus propriis sui ordinis. Apostoli sunt primi episcopi, et certe videmus eminuisse in suo genere; S. Antonius, auctor eremitarum, S. Benedictus auctor monachorum in occidente, S. Franciscus auctor pauperum, etc. Sed primae sunt duae virtutes generales necessariae omnibus qui praesunt : fidelitas et prudentia. *Quis putas est servus fidelis et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* (Matth. 24, 25). Fidelitas requiritur erga Dominum, prudentia erga subditos, fidelitas in voluntate, pruden-

tia in intellectu. Propter unam dicuntur praepositi *lux mundi*, propter aliam *sal terrae* (Matth. 5, 13, 14).

De B. P. Ignatio tam est notum in utraque excelluisse, ut nihil notius. Nam fidelitas cognoscitur ex eo, quod omnia ad maiorem Dei gloriam dirigebat et dirigi volebat. Et quia *ex abundantia cordis os loquitur* (Matth. 12, 34), nihil in Constitutionibus et regulis saepius legitur, quam *Ad maiorem Dei gloriam*. Hoc imitari debemus in patre nostro, quia nihil magis est meritorium, nihil nobilius, nihil dulcius, cum hoc unum liberet ab infinitis molestiis, quae nascuntur ex amore proprio. De prudentia quid dicemus? Tanta fuit, ut omnibus admirationi esset. Duo signa prudentiae eius notabo, unum, quod in verbis erat circumspectissimus. Nam *cor fatui in ore, osque et lingua prudentis in corde* (cf. Eccli. 21, 29). *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* (Iac. 3, 2). Alterum quod, cum multi sint ita amore capti suae nationis, ut propterea sint odiosi aliis nationibus, ipse gratissimus erat omnibus nationibus, quia ita se accommodabat omnibus, ut nemo queri posset. Et haec fortasse est causa cur vivens minus claruerit miraculis, quia nimirum eximia prudentia et bonitas magnam auctoritatem ei conciliabant. Contra autem S. Antonius, S. Martinus, S. Franciscus de Assisio et alius de Paula infinitis miraculis clarebant, quia erat id necessarium ut haberent sectatores, etc. Hoc etiam imitari debemus, etc.

Iam vero in particulari Societas est religio ex genere suo perfectissima, quia versatur in actione praesupponente contemplationem, qualis fuit vita Christi, apostolorum, et qualis esse debet episcoporum, et qualis est angelorum. Dicitur autem actio praesupponens contemplationem praedicatio, lectio sacra et administratio sacramentorum, quia istae actiones non possunt fieri, nisi praecedat contemplatio Scripturae sanctae, tum quia contemplatio praecedens inflammat cor ad amorem Dei. Deinde ex amore Dei puro, non ex interesse aliquo procedit actio. Et ideo Apostoli dicunt : *Nos orationi et verbo instantes erimus* (Act. 6, 4), et tunc vere proficimus in his actionibus, ut fecerunt apostoli. Et B. P. Ignatius vere

fuit idea utriusque vitae. Nam etiamsi plurima haberet negotia ex sollicitudine novi ordinis undique oppugnati et ex impugnatione crescentis, tamen ita suspendebatur in oratione, ut nullam pateretur evagationem. Nam, ut in eius Vita legimus, nullus rumor eum distrahebat, nisi ipse esset in culpa. Hoc autem signum est maximae habituationis in recollectione animi. Qui enim non sunt assueti recollectioni, etiam in cubiculo clausi egent multis remediis contra evagationes. Similiter P. Ignatius possidebat maximam pacem et quietem animi, ut ipse etiam dicebat, et apparebat clare ex eius dictis et factis. Hoc autem est signum manifestum unionis cum Deo et assiduae contemplationis rerum caelestium. Nemo enim potest continere et non turbari in prosperis et adversis huius mundi, nisi qui habet cor affixum caelo et videt maiora et meliora. Et qui ardet amore Dei, qui est effectus contemplationis, necessario habet pacem maximam, quia pax est invidua comes charitatis. Hoc imitari debemus in patre nostro, si volumus vere agere vitam activam ex contemplatione manantem. Et vae nobis, si vita nostra sit pure activa, quia dum proderimus aliis, nocebimus nobis, immo nec aliis nec nobis proderimus.

Veniendo magis ad particularia, religio Societatis habet tria vota substantialia, sicut omnes aliae religiones. Circa paupertatem, prudentia patris nostri attigit verum scopum perfectae paupertatis, et ipse exemplo suo etiam docuit. Nam finis paupertatis religiosae est liberare animum sollicitudine et affectu rerum terrenarum. Ad hoc duo requiruntur. Unum ex parte superioris, ut non sinat aliquid ex necessariis deesse subditis; alioqui necessaria est sollicitudo et aperitur via proprietati. Alterum ex parte subditorum, ut nihil omnino habeant suum. P. Ignatius in utroque mire excelluit, tum praefigendo regulas, tum implendo, ut patet, etc.

Quoad castitatem similiter excelluit tum regulas et media adhibendo, tum ipse carnem suam domando, praesertim in iuventute, quando id est magis necessarium, ita ut nimius videri potuerit; sed in exemplari non est nimium etc.

Quantum ad obedientiam, quia praecipue voluit P. Ignatius in ea suos excellere, ideo summam eius perfectionem et in seipso et in regulis suis expressit. Obedientia est crux religiosorum, et ideo habet quattuor extrema, et quo illa sunt maiora, eo obedientia est perfectior.

1° Obedientia habet latitudinem. Et quidem aliqui religiosi habent obedientiam determinatam ad regulam scriptam, alii habent latiorem, quae extenditur ad omnia mandata superioris. Illam S. Bernardus vocat necessariam, hanc vocat perfectam. P. Ignatius extendit se ad alium gradum, id est nutum et voluntatem superioris, etiam si non iubeat. Haec est latissima; hanc Christus exemplo docuit, cum ait : *Quae placita sunt ei, facio semper* (Io. 8, 29).

2° Obedientia habet longitudinem, ut non fatigemur obediendo, neque ob longitudinem temporis, neque ob difficultatem eorum quae iubentur, neque ob dignitatem personae obedientis. Nam facile est obedire in novitiatu, in statu humili, in rebus facilibus. Hanc in se ostendit P. Ignatius ad exemplum Christi et sanctorum; nam Christus obedivit usque ad mortem, mortem autem crucis.

S. Pafnutius fatigatus est iubendo, non obediendo; ideo ter aufugit praefecturam : Cassian. Col. 19, c. 2; sic S. Ioannes abbas post viginti annos eremi, venit ut subiceretur. P. Ignatius renuntiavit generalatum.

3° Obedientia habet altitudinem, id est perfectionem, ut sit caeca quoad intellectum; prompta, facilis, celer, quoad voluntatem. Et horum omnium radix est indifferentia. Hanc docuit P. Ignatius verbo et exemplo, dum veniret Romam, facto voto de obedientia Summo Pontifici, et inter se loquerentur quid quisque vellet sibi iniungi, etc. Lib. 5, c. 4 Vitae Riba(deneira auctore).

4° Habet profunditatem, ut obediat non solum Superiori, sed etiam aequali et inferiori, id est minus bono, vel minus docto, minoris aetatis, etc. Hanc habuit Christus, qui minoribus obedivit; et S. Franciscus, qui dicebat se promptum obedire ultimo novitio; et P. Ignatius, qui, cum esset sine con-

troversia omnium maximus, tamen laboravit quantum potui ne fieret superior. Omitto ornamenta aliarum virtutum.

Stolam gloriae induit eum et ad portas paradisi coronav eum. Haec est glorificatio, quae est summum, aeternum, uni versale bonum. Sed quia nos non sumus capaces intelliger id quod est in se, describitur per ea, quae videntur in terri maxima bona, id est sacerdotium et regnum. Sic dicitur i Apocalypsi (5, 10) : *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacer dotes,* etc. Ideo hic dicitur : *Stolam gloriae induit eum,* scilice stolam sacerdotalem, et coronavit eum corona regni. Se sicut caelum est incomprehensibiliter altius et nobilius terris ita sacerdotium et regnum caeli est maius, nobilius, honora bilius, utilius omni summo pontificatu et imperio terrarum Hoc deberet ambire animus nobilis, etc. Quod P. Ignatius ec pervenerit mox a morte, non est nobis certum ex fide, neque ex testimonio publico Ecclesiae; tamen est tam certum ex variis coniecturis, ut secure id possemus credere, etc. Nam ex fide scimus eos, qui nihil habent purgandum, continuo volare ad caelum. De P. Ignatio possumus credere eum per fecte purgasse omnia peccata facta ante conversionem, tum per poenitentiam quam egit asperrimam, tum ex secundo baptismo, id est ex conversione ad renunciandum omnibus ut patet ex D. Hieronymo, Bernardo, S. Thoma et Athanasio

Post conversionem, quod caverit diligentissime et purga verit continuo, si quid venialiter peccaverit, patet ex multis, sed praecipue ex examine, quod singulis horis faciebat. Habemus praeterea testimonium miraculorum plurimorum, etc. Hunc igitur imitari tuto possumus et nos eius orationibus commendare, et praecipue religiosi eius ordinis, quos Deus vocat ad perfectionem per talem modum vivendi, et non concurrit si quis per aliam viam ingredi velit.

(Vacat reliquum folium rectum).

DE S. LUCA AD NOVITIOS

In laudibus S. Lucae dicitur ab Ecclesia, quod crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro Dei honore portaverit. Quod est conforme cuidam regulae ex Summario Constitutionum, ubi iubentur fratres nostri mortificationem in omnibus rebus quaerere. Consideremus igitur ista omnia : 1° quid sit crucis mortificatio; 2° quid sit portare; 3° quid iugiter; 4° quid in corpore; 5° quid pro Dei honore.

Crucis mortificatio est afflictio, quae nascitur ex cruce. Ex quo intelligimus hic agi de cruce gravi, non de cruce parvula aurea vel argentea, quae gestatur ad collum; sed de magna, ponderosa, quae humeros premit et affligit. Crux aurea est habitum gestare pauperis religiosi, et interim nolle ullam penuriam pati; velle votum castitatis, sed nolle pugnare cum vitiis, sed admittere pravas cogitationes, etc.; velle obedire, sed ad sua desideria trahere superiorum; velle haberi humilem, sed non despici, etc.; velle haberi mitem, sed nullam iniuriam ferre, etc. Non sic S. Lucas; sed a D. Paulo ut eius comes individuus edoctus, laborabat manibus, ut victum acquireret, et patiebatur famem, sitim, nuditatem, etc. *Esurimus,* inquit, *et sitimus, et nudi sumus* (I Cor. 4, 11). Et alibi : *In fame et siti et nuditate et frigore* (II Cor. 11, 27) etc. Fuit castissimus ab adolescentia usque ad annum 84, ut Hieronymus scribit, et sine dubio non caruit cruce stimulorum carnis, ut magister eius Paulus; et ad eius exemplum corpus suum castigabat. Passus est persecutiones, contumelias, opprobria, quia eo tempore christiani habebantur athei, impii, quia deos visibiles contemnebant, et gens vilissima, etc.

Hanc crucem portavit S. Lucas, quia voluntarie et libente tulit. Aliqui enim non portant crucem, sed portantur a cruce ut pauperes, qui vellent esse divites, sed non possunt; e coelibes, qui vellent uxores; et subditi qui vellent iubere; e viles et despecti, qui vellent honorari. At Lucas, qui erat v doctus et honoratus, civis Antiochenus, bene potuisset haber divitias, uxorem, honorem, etc. Sed elegit sponte vitam per fectam secundum Evangelium, etc.

Iugiter portavit, quia perseveranter, continuo, non fatiga tus est portando, non rediit retro. Quod de ipso dicitur i Ezechiele (1, 12), sub figura animalium mysticorum : *No revertebantur, cum ambularent.* Multi enim sunt similes pla netis, sive stellis errantibus, qui ad raptum primi mobili feruntur ab Oriente in Occidentem, sed simul retrocedun per motum proprium; isti revertuntur dum ambulant, et sun illi, qui non perfecte subiciuntur Spiritui impellenti illos a opera perfectionis, sed retardant, resistunt, etc. Et ideo dici tur de animalibus illis sanctis : *Ubi erat impetus spiritus, illu gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent* (Ezech. 1, 12) id est, tamquam mortui sibi, toti permittebant se alieno ra ptui. Et haec est perfecta mortificatio crucis. Sed quid est *Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris cor ruscantis?* (Ibid., 1, 14). Hoc significat illud idem, id est per fectam subiectionem spiritui. Nam, ut intelligamus quod non ibant ex propria voluntate, sed ex raptu spiritus, si spiritus ea volebat pergere in contrariam partem, tam celeriter rever tebantur, quam antea ibant in directum. Et ideo non dicitur : *non revertebantur,* sed : *non revertebantur cum ambularent,* id est non resistebant rapienti spiritui, etc. Hic describitur per fectissima forma obedientiae, quae est principalis crux reli giosorum. Exempla. Cum spiritus sive interpres spiritus, qui est superior, ducit ad orandum per horam, ille non revertitur dum ambulat, qui nihil aliud cogitat, sed totus est intentus orationi, et sic de aliis. Qui tamen it et revertitur in similitu dinem fulguris coruscantis, qui, si iubetur postea fodere in horto vel servire aegrotis, etc., continuo fertur in illud, relicto

gustu meditationis, etc. At qui, dum iubetur orare, cogitat de horto vel aliis, ille revertitur dum ambulat, etc.

In corpore suo portavit. Multi portant crucem in anima, et nihil inde habent, nisi laborem et dolorem; et similes sunt damnatis in inferno. At sancti viri portant crucem in corpore, sed consolationem et fructum in anima; scilicet mortificant carnem et vivificant animam. Unde Bernardus in Serm. de Dedicatione : *Multi vident crucem nostram, sed non vident unctionem nostram.* Et S. Paulus dicit : *Gloriamur in tribulationibus* (Rom. 5, 3). Item : *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (II Cor. 7, 4). Illi portant crucem in solo corpore, qui serio disponunt relinquere mundum et servire Deo, qui vere amant paupertatem, castitatem et obedientiam, humilitatem, etc. Illi portant in anima, qui non serio agunt, et vellent simul Deo servire et mundo, et ideo perpetuo cruciantur, et maestissimi sunt. Illis crux de se ponderosa evadit iugum suave et onus leve; istis iugum suave evadit crux gravissima. Illi parum laborant et parum lucrantur, et eorum lucrum est securissimum; isti multum laborant et parum lucrantur, et eorum lucrum est tam incertum, ut merito dubitare possint ne debita sint maiora creditis. Explicemus in exemplis virtutum religiosarum. Qui vere amat paupertatem, parum laborat, quia facile est habere pauciora et viliora; item parum laborat, quia dulce est amanti paupertatem pauca habere. Quod autem est dulce non potest esse grave. Multum autem lucratur, quia *beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum caelorum* (Matth. 5, 3), in alio mundo per gloriam, in hoc per gratiam. Nimirum in hoc mundo pauperes habent in corde pacem et gaudium, et fiduciam ad Deum, etc. Et ideo non habent crucem in anima, sed in corpore. Porro lucrum est certissimum, quia id promittit Deus, et hic habemus pignus, etc. At qui non amat paupertatem, et tamen eam profitetur, multum laborat et habet crucem in corpore et in anima, quia multa desiderat quae non potest habere : unde tristatur, queritur, murmurat, etc. Parum lucratur, quia eius meritum est valde imperfectum et mixtum cum deme-

ritis, et Deus scit an aliquid mereatur. Similiter qui ama castitatem, vigilat super sensus et primis motibus repugna quod est facile, quia tunc homo est fortis et sanus, et ictu sunt debiles. Et meritum est maximum et securum, et si non portat crucem nisi in corpore. At qui non amat castita tem et permittit sensus vagari, et aperit sinum malis cogita tionibus, is vulneratur et fit debilis ad resistendum, et vire adversarii crescunt. Unde multum laborat et cruciatur anime insurgunt dubia, scrupuli, rubor, etc. Idem dicas de obedien tia, patientia, etc.

Propter honorem nominis Domini. Hoc est quod facit por tare iugiter et libenter crucem Domini, necnon utiliter e honorate. Nam qui portant crucem propter aliquam alian causam, vel sunt vani, vel stulti, ut philosophi antiqui, u amatores mundi; at qui propter honorem Dei, illi ver sapiunt. Honoratur autem Dominus ex cruce nostra, quia i ea exercentur multae virtutes, patientia, paupertas, castitas obedientia, etc. Ex virtutibus autem manat bonus odor reli gionis christianae apud infideles, et ordinis religiosi apu saeculares; et inde laudatur Deus auctor huius vitae. Sicut contrario ex vitiis nostris oritur malus odor apud infideles e saeculares, et inde blasphematur nomen Domini. Unde dici tur in Evangelio : *Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est* (Matth, 5 16). Et de S. Petro : *Significans qua morte glorificaturus esse Deum* (Io. 21, 19). Et de se S. Paulus : *Christi bonus odor sumus in omni loco* (II Cor. 2, 15). Et e contrario dictum est Davidi : *Fecisti inimicos blasphemare nomen Domini* (II Reg 2, 14). Iam igitur qui propter gloriam Dei fert crucem, ut eam tulit S. Lucas, 1° eam fert libentissime, imo est ei dul cissima, sicut fuit S. Andreae, quia nihil dulcius amanti, quam pati pro amato, quia eo modo ostendit suum affectum. Vide mus in amore humano quod Iacobo quatuordecim anni sum mi laboris pro Rachele visi sunt illi pauci dies prae amoris magnitudine. 2° Deinde fert crucem utilissime, quia Deus non sinit se vinci beneficiis, et ideo remunerat copiosissime

in hoc mundo et in alio. 3° Denique fert crucem honorate, quia hoc modo assimilatur Christo in eo, quod in illo fuit summe gloriosum, nam nihil fuit mirabilius in Christo, quam pati pro homine, etc.

S. Lucas vere pro honore Domini portavit crucem, quia fuit devotissimus et ferventissimus amator Christi, quod patet tum ex coniunctione cum D. Paulo, qui fuit quasi seraphinus in terris; tum ex amicitia et familiaritate cum Beatissima Virgine, a qua didicit mysteria Annuntiationis et Nativitatis et Purificationis, quae ipse solus narravit, et ipse primus eam depinxit. Nos igitur ad imitationem tanti viri debemus serio agere, portare crucem iugiter in solo corpore et propter solum Dei amorem, et ad hoc perficiendum multum affici erga Beatam Virginem, etc. Finis.

IN ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

Se mai habbiamo hauto occasione di porgere à Dio ardenti preghi, mi pare che hora più che mai l'habbiamo. Il tempo ci invita, perchè siamo nel principio della settimana santa, veramente santa sopra tutte le settimane dell' anno, nella quale converrebbe scordarci d'ogni altro negotio. Il luoco c'invita, poichè non solo siamo nella casa di Dio, ma posso dire, nella camera di Dio, havendo presente Iddio nel santissimo sacramento, et insieme una grande moltitudine di angeli, che non mai l'abbandonano. L'occasione c'invita, poichè hoggi tutto il popolo concordemente come un essercito ben' ordinato è risoluto di continuare l'oratione per 40 hore per dare un' assalto con gran fervore et perseveranza alla misericordia di Dio. Ne meno c'invita l'offitio nostro, che essendo noi sacerdoti, come capitani posti nella prima fila, siamo obligati dar buon' essempio à soldati, et con grande animo cominciarò questa santa battaglia. Appresso c'invitano i bisogni et le miserie nostre, così temporali come spirituali. Chi considera la povertà estrema di tante persone, così della città come de casali, la carestia, la nudità, l'infirmità, il gran patire di fame, di sete, di freddo, al che Dio voglia che non seguiti, come per l'ordinario suole, gran mortalità, certo vederà che l'ira di Dio è accesa contro di noi, et gran pioggia di lachrime ci bisogna per spegnerla. Ma chi considera poi, che questo flagello non è conosciuto et che quanto più Dio ci avisa, tanto peggio faciamo, et i peccati ogni di più si vedono multiplicare : se ha niente di sentimento, non so come potrà non accendersi à

gridar misericordia al Padre delle misericordie. Finalmente ci invita la presenza di questa vittima santa, gratissima a Dio; perchè se noi non confidiamo de meriti nostri, come veramente poco ci potiamo confidare, potiamo dir à Dio : Ecco, Signore, che noi non habbiamo ardir di venir a te soli, che ben sappiamo esser indegni del tuo conspetto; ma veniamo in compagnia del tuo unico figliolo. *Respice in faciem Christi tui* (Psalm. 83, 10). « Mira questa carne innocente, sacrificata con tanto fuoco di amore; mira quell' altissima obedienza, quella profundissima humiltà, quella longhissima patienza, et quella larghissima et ardentissima charità, con la quale il tuo unico figliolo morì per noi, et hora intercede per noi. » Ecco le cose che ci invitano à far' una buona oratione : il tempo, il luogo, l'occasione, l'offitio nostro, i bisogni communi et la presenza del santissimo sacramento.

Il modo di farla bene, è dargli due ali, con cui arrivi all'orechie di Dio. Le due ali sono timore et speranza; riverenza et fiducia; humiltà et confidanza. La prima ala s'acquista con la consideratione della grandezza di Dio, la seconda con la consideratione della charità di Dio. La maestà altissima di Dio ci fa riverenti et humili, et *oratio humiliantis se penetrat nubes* (Eccli. 35, 21). La charità et bontà ineffabile di Dio ci fa confidenti et arditi, et *nihil impossibile erit credenti* (cf. Marc. 9, 22). La maestà infinita di Dio si puo conoscere per comparatione delle cose create, et salire con la consideratione fin' al terzo cielo. Considera prima il cielo corporale, et vedrai in quello il sole et le stelle, cose molto migliori di tutte le altre cose corporali, perchè quelle sono incorruttibili, inalterabili, non invechiano, non si consumano, sono nobilissime più di qualsivoglia diamante, o altro gemma pretiosa; sono di somma efficacia et virtù. Ma un difetto hanno, che non conoscano il suo bene nè il suo fattore, poichè sono senza anima et senza sentimento et intelletto. Però sale più alto al cielo intellettuale, et troverai gl'angeli santi, i quali sono in grandissimo numero, et non solo immortali, impassibili, nobilissimi et potentissimi, ma anco pieni di sapienza

et d'amore. Sopra questi troverai il terzo cielo, increato et immenso, che è la divina essenza et maestà tanto superiore à gl' angeli, che ti parrà che gl' Angeli non siano incorruttibili, nè impassibili, nè savii, nè buoni. Et così dice la Scrittura : *Qui solus habet immortalitatem* (I Tim. 6, 16); et *Ego Deus et non mutor* (Mal. 3, 6), et *Soli sapienti Deo* (Rom. 16, 27), et *Tu solus sanctus;* et : *Nemo bonus, nisi solus Deus* (Luc. 18, 19); *Stellae non sunt mundae in conspectu eius* (Iob. 25, 5).

Se potrai salire a questo cielo, vedrai tutti gli esserciti angelici stare avanti a Dio con tal reverentia et humiltà, et così stupiti della grandezza et maestà sua, che ti sarà impossibile non humiliarti fin' al profondo del niente, et di là gridare con David : *De profundis clamavi ad te, Domine* (Psalm. 129, 1). Ma se poi consideri che questa istessa Maestà ti ha fatto con le sue mani, *manus tuae fecerunt me* (Iob. 10, 8), et ti porta et governa, come una balia; et si è fatto huomo per te, et ha voluto morire per te; et si è fatto cibo tuo, et è qui presente non solo con la divinità, ma anco con l'humanità sua; et che non potendo te salire al palazzo et alla camera sua, ha fatto portar qua la camera sua, et esso è qui presente, *inclinavit caelestia et descendit* (II Reg. 22, 10), subito pigliarai animo et fiducia di parlare, et esso ti essaudirà.

Ma io non voglio col troppo parlare, impedire il vostro orare. Chi non ha meglio, vada considerando quello che ho detto, et poi si accenda all' oratione, etc.

IN ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM PRO MULIERIBUS

Finisce hoggi l'oratione delle 40 hore, ma non finisce il tempo di orare, nè finirà fin' all' ultimo giorno del giuditio. Fin' à quel giorno durano le battaglie, i pericoli et le miserie; et però fin' à quel giorno dura l'oratione in cielo, in terra et nel purgatorio. Doppo quel giorno non ci sarà altro, che ringraziamento, laudatione et giubilo per quelli che haveranno bene orato. *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te* (Psalm. 83, 5).

Et però ci ammonisce il Signore (Luc. 18, 1) : *Oportet semper orare, et numquam deficere* (1). Et S^to^ Paulo : *Sine intermissione orate* (I Thess. 5, 17). Et S^to^ Pietro : *Vigilate in orationibus* (I Petr. 4, 7). Ma se questo conviene à tutti, molto più alle donne, che per essere più debole degli huomini, et non gli conveniendo andare armate, hanno più bisogno di aiuto et di oratione. Et così Iddio ha dato un certo instinto di devotione alle donne, che non ha dato à gl'huomini. Onde la Santa Chiesa dice : *pro devoto femineo sexu.* Et leggiamo nell' Evangelio che le donne mostrarono più devotione à Christo in vita, in morte et doppo morte, che gl'huomini. Non si legge che nessuna donna lo ingiurasse, come fecero molti huomini. Ma per il contrario,

(1) *In margine adnotavit Bellarminus :* Nota li « oportet », non autem expedit, convenit, etc. Item « semper », id est omni die et omni nocte, sive in omni opere; item « et numquam deficere », id est non accepto excusationes in re tam necessaria.

quando i scribi et farisei lo bestemmiavano, si levò su in mezzo delle turbe una santa donna et disse : Beato il ventre che l'ha portato. Et quale honor arrivò alla devotione di Maddalena? Appresso la croce vi era solo Giovanni degl' huomini, ma delle donne erano molte. Doppo mane le prime che andarono ad sepolchro et lo viddero resuscitato, furono le donne. Si che quella donna, che non è devota et data all' oratione, degenera dall' altre, et si puo dir esser un mostro di natura.

Et venendo più al particulare, le maritate hanno grandissimo bisogno di oratione per sopportar i costumi del marito, le fatighe d'allevar i figlioli, i dolori del parto, et mille altri disgusti, che si trovano in quello stato. Onde S. Paulo consiglia alle maritate, che con buona gratia de mariti di tempo in tempo stiano separate *ut vacetis orationi* (I Cor. 7, 5). Et da la ragiona, perchè *tribulationes carnis habebunt huiusmodi* (ibid. 7, 28). Le vedove ne hanno più bisogno, per esser desolate et prive dell' aiuto del marito. Però S. Paulo dice : *Quae vere vidua est, instet orationi et obsecrationi* (cf. I Tim. 5, 5). Et così leggiamo di Judith et di Anna nell' evangelio, etc., di S^ta^ Brigida, S^ta^ Elisabetha, etc. Ma se sono vergine, è loro propriissimo offitio l'oratione : *Quae virgo est, sollicita est, quae Dei sunt, quomodo placeat Domino* (cf. I Cor. 7, 34). Così leggesi di S^ta^ Cecilia, che non cessava mai *a colloquiis divinis et oratione*. Et si come la virginità non è virtù humana, ma angelica, così la vergine ha da far offitio di angelo, semper orando et lodando Iddio.

Ma che cosa si ha da domandar à Dio nell' oratione? La prima et principale, et che contiene tutte l'altre, è un vero dolore de peccati proprii et alieni. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (Psalm. 50, 3). Non est magna misericordia dare divitias, filios, honores, etc. Haec enim dantur etiam non petentibus, etiam inimicis. Sed magna misericordia est, dare veram compunctionem, quae de corde lapideo facit cor carneum. Ideo declarat subdens : *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*

(ibid.). Dicit *multitudinem miserationum,* quia sicut peccatum est causa plurimarum miseriarum, imo omnium miseriarum in hoc mundo et in alio : ita gratia compunctionis, quae delet peccatum, est multitudo infinitarum miserationum. Haec est illa pluvia voluntaria, quam segregavit Deus haereditati suae. Animae reprobarum steriles sunt, sicut terra sine aqua; nihil germinant nisi spinas et urticas. At ubi haec pluvia repetita haereditati Domini cadit, germinat herbas virentes bonarum cogitationum, flores sanctorum desideriorum et fructus bonorum operum. Lachrymae Magdalenae, quot fructus protulerunt! Sic lachrymae S. Petri, S^tae^ Mariae Aegyptiacae, quae de meretrice evasit angelus terrestris. Sic lachrymae S. Augustini, qui post amarissimam contritionem evasit amicissimus Dei.

Hoc est principale intentum Christi in omnibus quae fecit et docuit et passus est. Sic dixit angelus S. Iosepho : *Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (Matth. 1, 21). Hoc est munus proprium populi christiani, electi ad regnum : salus a peccatis, ex qua omnia pendent. Nec potest haberi certius signum et pignus remissionis peccatorum, quam vera contritio et conversio. Exemplum de B. Raymundo Capuano, qui petivit a B. Catharina Senensi, ut impetraret sibi a Christo bullam indulgentiae plenariae a culpa et a poena; impetravit autem illi amarissimam contritionem. Et ipsa sancta virgo, quia in pueritia vel adolescentia semel se ornaverat ad persuasionem sororis, adeo flevit et poenitentiam egit pro hoc facto, quasi pro peccato mortali. Et sic ipsa quoque satis certificata est de indulgentia.

ORATIO IN DOCTORATU ANT. PALADINI

(1581)

Si doctoratus insignia id solum efficerent, ut suus virtuti honos suaque industriae proemia non deessent, non immerito divinae philosophiae alumni sola scientia tantarum rerum contenti omnino ab hac luce publici honoris atque hoc tam praeclaro laudis testimonio abhorrerent. Ipsa enim, quam profitentur, theologia cum alia permulta, tum id maxime proprium habet, ut nos alte spectare, haec humana contemnere, caelestem patriam contueri, ibique solum non arescentes laureas veraeque gloriae coronas quaerere atque sperare divinis suis vocibus et cohortationibus iubeat. Sed alia sane mente alioque consilio maiores nostri, viri sapientissimi, cum gymnasia constituerent eorumque moderatoribus leges praescriberent, egregia haec eruditionis ornamenta atque insignia in insignes tantum atque omni laude cumulatos viros conferri post confectum theologiae curriculum voluerunt. Neque enim his honorum titulis et gradibus vel turpi cupidorum hominum quaestui vel inani superborum mortalium gloriae serviendum, sed publicae solum christiani populi saluti atque incolumitati prospiciendum esse putaverunt. Quid enim? Humanae reipublicae principes et moderatores eam sapientiam, quae humanis mentibus ad veri pervestigationem viam aperit, et medicinae artem, qua salus corporum conservatur, et earum legum tractationem, quibus de domibus, de fundis, de limitibus, de stillicidiis controversiae dirimuntur, num temere et sine discrimine iis omnibus permittunt, qui se earum artium peritos iactant, an iis potius, qui diu multumque in literaria palestra spectati et probati publicum tandem sunt a gravissimis iudicibus ingenii ac doctrinae testimonium consecuti? Quanta igitur

cura et vigilantia religionis antistites divinaeque reipublicae duces providere par erat, ut disciplina caelestis, qua una et altissimarum rerum cognitio et spiritualis ratio medicinae et totius divini iuris scientia continetur, non vulgo omnibus, sed paucissimis iisque lectissimis viris explicanda traderetur, qui non modo excellenti doctrina cum pari pietate coniuncta pectus complessent, sed etiam eius doctrinae et pietatis publico iudicio approbationem ac testimonium summa cum laude retulissent, nisi forte minus sit animorum quam corporum salus curanda, minusque periculose in doctrina catholicae fidei quam in natura elementorum ac stirpium explicanda peccetur, et gravius sit morbis quam moribus, invalitudine quam libidine laborare, ac demum levius gratiae quam pecuniae detrimentum, caeli quam terrae iactura, sempiternae felicitatis quam terrenae possessionis amissio aestimanda nobis esse videatur.

Quae cum ita sint, non modo mirum videri non debet, quod studiosi theologiae ad haec doctoratus fastigia gymnasiorum legibus more veteri provehantur, sed quando id non fieret, tum vero iure mirandum atque eius rei causa requirenda videretur. Iam vero de nostro hoc theologiae candidato multa, eaque egregia, a me dici possent atque etiam deberent, si vel alio loco et tempore vel aliis auditoribus et spectatoribus agenda res esset. Neque enim committerem, ut eum ignoti nobis homines tam insigni munere ornari viderent, cuius laudes et merita ignorarent; neque prius ego capiti eius pileum honoris imponerem, quam frequentia spectatorum orationi, quae de eius laudibus haberetur, suum quoque approbatione et plausu suffragium addidisset. Nunc vero conspectus hic vester non solum mihi dicendi laborem adimere, sed prope etiam silentium indicere iure suo videtur. Quot enim auditores hic adesse video, tot fere testes virtutum ac laudum eius habere me scio, quibus comperta et nota iterum audire, si non ingratum, minus certe suave, tibi vero, Antoni, etiam grave et molestum esset. Praetermissa igitur laudatione, cohortationem potius, ut simul desiderio ac voluntati tuae et amori erga te meo satisfaciam, paucis adhibebo.

Illud igitur velim tecum ipse cogites, quantum oneris hodierna die suscipias, quamque gravis provincia tuis humeris imponatur. Fundamenta iecisti rerum maximarum, cum ab ineunte aetate in omnibus studiorum curriculis et palestris singulari laude semper enituisti. Scimus te adhuc puerum in arena literaria, et latine et graece, et vincta et soluta oratione aliquando ita certasse, ut una die, ingenti multitudine spectante, tria simul proemia reportaveris. Quod quidem omnes optare, pauci sperare, consequi praeter te, quod sciam, nullus unquam potuit. Qualem deinde adolescentem in studio philosophiae te praestiteris, testantur postremae illae disputationes tuae, quas nova quadam atque ad defendendum difficillima, atque adeo inextricabili ratione totas ex problematibus contexueras; quemadmodum autem paulo post in studiis gravioribus versatus sis, nos ipsi novimus, qui te saepe sententias tuas alacriter defendentem, saepius alienas acerrime oppugnantem, semper autem vel cum primis vel etiam ante primos theologiae spatia veloci cursu transmittentem atque ad metam anhelantem et quasi quadrigis invehentem vidimus.

Sed haec, ut dixi, fundamenta sunt actionum reliquarum. Id enim anteactae vitae diligentia et laboribus es consecutus, ut magnam de te spem concitaveris et iam a te nihil humile, nihil vulgare, nihil mediocre, sed magna quaedam et prope singularia postulentur. Quare vehementer tibi deinceps laborandum et omni animi contentione providendum est, ut opinioni hominum satisfacias, ut respondeant extrema primis, et egregie iactis fundamentis non minus praeclare reliqui operis structura consurgat, et eo praestantiores morum atque ingenii fructus edas, quod ea fere aetate ad maturitatem pervenisti, qua multi ne semina quidem iacere potuerunt. Verum ne videar diligentiae et constantiae tuae, cuius tam multa tenemus argumenta, diffidere, orationem non ponam in te cohortando longiorem.

Accede igitur, ut eius saluberrimae fidei confessionem de more pronuncies, ad quam explicandam ac tuendam, Deo duce atque auspice, hodierna die initiaris.

AD HAERETICOS QUI ABIURATURI ERANT (1)

(Romae 1577)

Dovendo hoggi fare un poco di ragionamento con le charità vostre, mi è parso trattar brevemente dell' utilità grande, che si puo et deve cavare dal peccato et da gl'errori commessi, massime quando uno non vi è incorso per malitia, ma per inganno del demonio et ignorantia, ò fragilità humana; perchè, se bene il male sempre è male, et non puo essere che uno faccia bene peccando, non di meno questa è la proprietà di Dio et de suoi servi et eletti che d'ogni causa cavano bene, etiamdio de peccati, come per il contrario il demonio et i suoi seguaci d'ogni cosa cavano male, etiamdio del bene. Onde S. Agostino nell' Enchiridio dice che Dio non permetteria nessun male, se non fusse così potente et buono, che potesse et volesse cavarne qualche bene. Et S. Bernardo sopra il salmo *Qui habitat,* serm. 2, dice che quella parola di di S. Paolo *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. 8, 28) s'intende anche dei peccati, i quali *cooperantur* quando uno si releva dal peccato più sollecito, più çauto et più humile che non era prima. Et aggiogne, che a questo si conoscano i buoni et eletti da i cattivi et reprobi, che essendo che tutti qualche volta cascano in peccato, nondimeno gl' eletti presto si levano su, et per una humile confessione si rihanno e deventano migliori che prima, come intervenne a

(1) *Haec oratio, quam ultimo loco edimus, in codice sub initio scripta legitur, nempe statim post tractatiunculam de mysterio incarnationis.*

S. Pietro. Ma i reprobi si vergognano à confessar l'error e g
interviene come a cavalli ombrosi, che per paura d'un sass
ò un legno attraversato per la strada, si precipitano in u
fosso et si rompano il collo.

Hor che utilità adonque cavaremo dal peccato et error
Moltissime, ma principalmente due, cautela et humiltà. Quan
to alla cautela, molto giova non andare curiosamente ricer
cando et essaminando gl' articuli e i dogmi particulari, perch
l'ingegno è debole, i mysterii sono alti, il demonio no
manca di fare l'offitio suo, et così facilmente si va perici
lando. Ma meglio è rimettersi in tutto al sentimento dell
Chiesa, considerando quel che dice S. Agostino, nel libr
contra l'epistola del fundamento, che il popolo christiano *no
intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimum faci*
che sta securissimo il christiano che simplicemente cred
mentre sta nel grembo della Chiesa, perchè in quella no
può essere nissuno errore et in quella sola è la vera fede, l
vera giustitia, la vera remissione dei peccati, la vera spe
ranza del paradiso, come dice bene Lattantio, nel 4 libro dell
divine institutioni, c. ultimo : *Sola catholica Ecclesia est qu
verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium
fidei, hoc templum Dei; quo si quis non intraverit, vel a qu
si quis exierit, a spe vitae et salutis aeternae alienus est.* E
aggiogne che per questo tutti gl' heretici dicono, che lor
hanno la vera chiesa, perchè sanno che dove è la vera chies
qui è ogni bene et ogni verità. Et che la vera Chiesa si
questa nostra che obbedisce al pontefice, si potria provar
con infiniti argumenti; ma io un solo per hora ne proporrò
il quale basta per confermar nella santa fede ogniuno ch
non sia del tutto ostinato.

Illa sine dubio est vera Ecclesia, quae a Christo inchoat
usque ad diem hunc durat, ut dicit Hieronymus, nel fin
del dialogo contra Luciferianos. Quod nostra sit talis
non ullorum aliorum, probatur sic. Nam quotiescunque er
recens secta, semper ista sex invenientur : auctor eius novi
tatis, dogma novum, locus ubi scripsit, tempus quo incipi

aliqui resistentes, et quod a maiori congregatione separetur. Verbi gratia in haeresi Arii, auctor Arius presbyter, etc.; dogma quod Filius Dei sit creatura; locus Alexandria; tempus sub imperio Constantini anno Domini 300; restitit concilium Nicenum; separatio facta est paucorum a toto orbe christiano. Iam nihil horum de nostra ecclesia ostendere possunt. Non auctorem; hinc enim nunquam nos denominaverunt ab uno particulari homine, sicut nos haereticos omnes. Non dogma; nam omnia nostra sunt antiquissima, v. g. de papatu meminit Irenaeus, apostolorum temporibus vicinissimus, l. 3, c. 3 : *Ad hanc enim ecclesiam*, etc.; de sacrificio : idem Iren., l. 4, c. 32 : *Panem accipit Christus, dicens : Hoc est meum corpus; similiter et calicem suum sanguinem confessus est.* Et novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. De quo in 12 prophetis Malachias sic praesignificavit (1, 10, 11) : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, nec sacrificium accipiam de manibus vestris. Nam ab ortu solis usque ad occasum offertur nomini meo incensum et sacrificium purum, quoniam magnum est nomen meum in gentibus,* etc. Sic de purgatorio, Tertullianus, in libro de Corona, dicit esse apostolorum traditionem orare pro iis qui sunt in purgatorio, et libro de Monogamia dicit : *Pro anima eius* (id est mariti) *oret, et refrigerium postulet ei, et offerat annuis diebus dormitionis eius.* Sic de invocatione sanctorum idem Irenaeus, l. 5 : *Sicut Eva seducta est ut effugeret Deum, sic Maria suasa est obedire, ut virginis Evae virgo Maria fieret advocata;* et Ambrosius, l. de Viduis : *Obsecrandi sunt martyres, quorum nobis videmur corporis pignore quoddam patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si quae habuerunt peccata laverunt,* etc.

Sic de aliis omnibus. Nam Centuriatores in singulis aetatibus, cap. 4 circa finem, annotaverunt veteres patres qui nostra dogmata docuerunt. Non locum; nam semper fuit in omni loco. Non tempus, etsi dicunt circa annum 600; nam tunc nulla mutatio facta est. Nemo restitit. Denique a nulla maiore

recessit; nam quae erat tunc maior? Totus orbis Gregorio parebat, ut patet ex epistulis eius. Respondent incepisse paulatim, et propterea neminem advertisse. At contra; nam etiam singulae haereses inceperunt sensim, et tamen mox fuerunt qui adverterent. Praeterea saltem Deus advertere debuit, qui custodit Ecclesiam, etc. At e contrario nos omnia ostendemus de Lutheranis. Auctor enim fuit M. Lutherus; dogmata nova sunt plurima, ut de sacrificio, de libero arbitrio, etc.; locus Wittenberga; tempus anno 1517; restiterunt plurimi Lovanienses, Colonienses, Parisienses, etc.; denique recesserunt pauci a maiore parte ecclesiae.

Potest etiam hoc facilius sic ostendi. Antequam Lutherus veniret, non erant in mundo nisi hae religiones : Iudaeorum, gentilium, Turcarum, Graecorum, Hussitarum et Romanae ecclesiae. Peto ergo : vel erat tunc in mundo Ecclesia Dei, vel non. Si non, ergo angelus mentitus est, qui dixit : *Et regni eius non erit finis* (Luc. 1, 33), et Christus : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* (Matth. 28, 20); et rursum : *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Matth. 16, 18). Si sic, peto quae erat ex istis sex? Certo non gentilium, nec Iudaeorum, nec Turcarum; illi enim Christum non colunt, sine quo non potest esse salus. Non etiam Graecorum; nam illi errant circa Spiritum sanctum, quem errorem esse gravissimum etiam Lutherani fatentur. Non etiam Hussitae; nam imprimis Lutherus fatetur se non sentire cum Hussitis, et praeterea potest fieri idem argumentum de illis. Petam enim : antequam Hus veniret, ubi erat Ecclesia? Ergo superest quod in Romana ecclesia fuerit. Ergo Lutherus ab ea discedens a vera Ecclesia discessit.

Ad hoc respondent Ecclesiam veram non fuisse in his sex, sed in quibusdam occultis hominibus, quos nemo noverat nisi Deus, et qui postea, veniente Luthero, apparuerunt. At contra; nam vel isti profitebantur suam fidem, vel non. Si sic, ergo non erant occulti. Ubi ergo erant? Vir nullus eorum meminit. Si non, ergo non erant Ecclesia Dei; nam in Ecclesia semper sunt aliqui boni et qui salvantur; ex illis occultis nul-

lus erat bonus. Nam confessio fidei est necessaria ad salutem, Rom. 10 : *Corde creditur ad iustitiam,* etc. Praeterea si ita esset, sequeretur Ecclesiam fuisse per mille annos miseriorem et in maiori captivitate quam fuerint unquam Hebraei vel ulli haeretici; quod est contra totam Scripturam, quae semper praedicat gloriam Ecclesiae. Nam Hebraei semper habuerunt et nunc habent suas synagogas, ubi exercent actus suae religionis; et omnes haeretici semper habuerunt aliqua loca, ubi libenter possent sua dogmata praedicare. At ista ecclesia occulta per 1000 annos non habuit vel unum angulum, ubi se colligeret.

Quantum ad secundum, qui vult fructum colligere ex peccato, debet surgere humilior et paratior ad patiendum opprobria et confusionem. Sic S. Marcellinus, qui ante metuerat mori, postquam in peccatum lapsus est et sacrificavit idolis, tam humilis et cupidus patiendi resurrexit, ut ipsemet quaesierit tyrannum et eum ad se occidendum instigaverit. Sic B. Paulus in suis epistolis dicit coram toto mundo se fuisse iniquum, blasphemum, persecutorem Christi. Sic S. Petrus libenter accepit quod Marcus tam clare descripsisset in evangelio suam negationem; et confirmavit illud evangelium et dedit Ecclesiae legendum, ut omnes legerent eius peccatum. Sic B. Augustinus non contentus scripsisse retractationes multorum locorum in suis libris, scripsit etiam libros Confessionum, ubi aperte confitetur se fuisse concubinarium et furem et haereticum. Et ratio huius est multiplex. Prima, quia ille qui vere poenitet habet tantam confusionem intus in corde, quod nihil curat confusionem externam; immo accensus amore iustitiae cupit confundi et ulcisci suum peccatum, sicut de S. Maria Magdalena scribit B. Gregorius. Secunda, quia vere poenitens intelligit non esse vergognam confiteri veritatem et damnare errorem, sed e contrario in errore persistere. Nam pudere debet nos mali, non boni. Non est autem malum damnare errorem, sed errasse; sicut non est malum gerere fasciam in fronte, sed vulneratum esse. Et quamquam materia confusionis aliquando est abiurare haeresim, quia inde colligitur

error praeteritus, tamen maior est honor apud angelos et ho
mines conversio etiam ab errore, quam sit confusio errasse
Sicut etiam est dolor apud angelos et homines, cum viden
aliquem peccasse, sed multo maior est laetitia cum viden
eum conversum. Tertia, quia vere poenitens cogitat longe
maiorem confusionem fore in die iudicii, quando peccata quae
hic non fuerint plane deleta, coram toto mundo aperientur
et ideo ut illam confusionem fugiat, non curat praesentem
Scribit Iohannes Climacus, auctor antiquus, de quodam maxi
mo peccatore quod, iubentibus superioribus, prodiit ligatus
ferreis cathenis et coram omnibus confessus est omnia sce
lera sua horrenda et maxima. Sanctus autem quidam pate
vidit diabolum, qui a Deo coactus omnia illa peccata penitus
delebat de libro, quando per confessionem aperiebantur
Quarto cogitat quod, etsi paulo durius est abiurare, tamen
durius est non admitti ad Ecclesiam, ubi solum est vera salus
Quid egissent tempore diluvii multi eorum qui submergeban-
tur in aquis, si potuissent in arcam ingredi? Certe quemlibet
laborem subiissent. Itaque etc. Quinto cogitat tribulationem
undecumque veniat, de manu Dei venire, qui nihil nisi bon
ad nos mittit, et ideo libenter amplectendam, praesertim cum
videamus quo fuerunt aliqui Deo chariores, eo gravius per
cussos. Certe Christus ipse nihil non passus est, cum tamen
posset, si vellet, illa omnia arcere; tamen noluit, ut nobis
exemplum patiendi daret. Apostoli item et martyres sanctique
omnes plurima libentissime passi sunt.

INDEX

De custodia cordis. Exhortatio prima 1
» » » » secunda 5
» » » » tertia 11
De circumcisione cordis. Exhortatio quarta. 16
De duritia cordis. Exhortatio quinta et sexta 22
De donis Spiritus sancti.
De dono timoris. Exhortatio prima 31
De timore Domini. » secunda 39
De dono pietatis. » tertia 45
De dono consilii. » sexta 51
» » » » septima 58
De renovatione votorum 65
Exhortatio in conversione S. Pauli 72
Exhortatio. [Serio serviendum esse Deo] 81
Exhortatio. [Imitandam esse Dei sanctitatem] 82
Super evangelium de decem virginibus 84
De libertate spiritus. Exhortatio prima 88
» » » » secunda 92
» » » » tertia 98
» » » » quarta : de providentia . 102
» » » » quinta : de gloria paradisi. 106
» » » » sexta : de inferno . . . 110
Exhortatio : *Qui amat animam suam, perdet eam* 114
De utilitate charitatis. Exhortatio prima. 123
De charitate. Exhortatio secunda 130
» » » tertia 138
» » » quarta 145
» » » quinta 154
» » » sexta 162

De charitate. Exhortatio septima 170
» » » octava 178
» » » nona 188
De cognitione Dei. Exhortatio prima 193
» » » » secunda 197
» » » » tertia. 201
De custodia et puritate cordis. Exhortatio prima . . . 205
» » » » » » secunda. . . 206
De perfectione. Exhortatio prima : Cur tam pauci perfecti evadant 209
» » » secunda 213
» » » tertia. 215
» » » quarta : de paupertate . . . 218
» » » quinta : de castitate. . . . 223
» » » sexta : de obedientia . . . 227
» » » septima 231
» » » octava 235
» » » nona : de misericordia Dei . . 239
» » » decima : » » . . 244
» » » undecima : de iustitia punitiva . 248
In renovatione votorum. Exhortatio prima 253
» » » » secunda 260
De humilitate. Exhortatio prima. 265
» » » secunda 269
De ascensione Domini 285
Die secundo pentecostes. 294
De S. P. N. Ignatio (an 1605). 296
In anniversario B. Ignatii (an. 1606) 302
De anniversario B. P. N. Ignatii (an. 1599) 309
De S. Luca ad novitios 315
In oratione quadraginta horarum 320
» » » » pro mulieribus . . . 323
Oratio in doctoratu Ant. Paladini 326
Ad haereticos qui abiuraturi erant 329

Mechliniae. — L. & A. Godenne.

060.23
B 414
11249
BELLARMINE, R.
AUTHOR
Exhortationes Domesticae
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Wilson MAY 28	
	Ford APR 22	
	Ford	
	OCT 10	

11249